FRANCISCUS AGELLI



PHAEDRI
AVGVSTI LIBERTI
FABVLAE AESOP.

PHAEDRI

AVGVSTI LIBERTI

FABVLARVM AESOP.

LIBRI QVINQVE.


CVM NOTIS ET EMENDATION.

FRANC. IOSEPHI DESBILLONS

EX EJVS COMMENTARIO PLENIORE DESVMPTIS.









MANHEMII,

IN BIBLIOPOLIO NOVO AVL. ET ACAD.

MDCCLXXXVI.





PRAEFATIO.

Annum jam ante hujus feculi fexagefimum. Difputationes de vitâ fcriptisque Phaedri, curâ pertinaci ac labore longo inftitutas, confeceram, fimulque Commentarios ad ipfius fâbellas adjeceram ampliffimos; & ifta etiam omnia, ab hominibus Societatis Iefu eruditis *a*) approbata, Typographi aliquot Parifienfes, fub aufpiciis illuftriffimi Domini de Malesherbes, in lucem emittenda publicam fufceperant; cùm inexpectata calamitas de meis me ftudiis dejecit, fedemque apud exteros quaerere coegit. Inita ergo cum Typographis confilia neceffe fuit abrumpere. Atque toto ex eo tempore Phaedrus meus defidere in fcriniis, vel ibi cum blattis litigare non ceffavit. Sed nuper cùm rogatus effem paulo enixiùs, ut

a) Curavi, ut approbatio ifta, quafi quoddam meae olim conditionis monumentum, fub finem hujus voluminis excuderetur.



evulgarem, quae tamdiu compreſſa detinuiſſem, tandem adductus ſum, ut ea darem praelis ſubjicienda; non tamen omnia; at ſelecta quaedam ex iſtis lucubrationibus, quas certè, ſi plenas & integras effunderem, non ferrent ingenia noſtri temporis, à majorum ingeniis longè diverſa: & hoc etiam pacto vix dubitare poſſum, quin futura ſit faventium mihi lectorum mira paucitas. Etenim hodie latina omnis lucubratio paulo operoſior planè obſolevit; gallicorumque opuſculorum ſive impietas, ſive feſtivitas ſolae habent celebritatem, & multitudinem hominum etiam literatorum vel occupant, vel oblectant. Sed ejusmodi famam & gloriolam, ſi tamen ea meritò gloriola appellari poteſt, facilè contemno. Adjuvare literas meis, qualescumque ſint, utilitatibus cupio: in quo perſequendo propoſito, ſi bonis, qui pauci quidem ſunt, literatoribus placere poſſim, ceterorum ſuffragiis patienter carebo. Statim ergo procedere hinc ad meas Diſputationes, quae numero tres erunt, incipiam.



DISPVTATIO I.

DE VITA PHAEDRI.

Vitam Phaedri, quam anno feculi proximè elapfi fexagefimo tertio contexuit Ioannes SCHEFFERVS & editioni fuae praefixit, alii deinde complures ultro fufceptam evulgarunt. Illam autem, affuetudine lectorum diuturnâ, hominumque etiam eruditorum fuffragiis comprobatam, quòd nunc refpuimus, haec certè neque eft noftra confidentia aliqua importuna, neque mala contradicendi voluntas, at fincera veri perfuafió. Schefferus enim, praeterquàm quòd inutilia quaedam congeffit, & alia quaedam memoratu digna vel non vidit, vel neglexit, in patriâ etiam Auctoris noftri dignofcendâ allucinatus eft; aut potiùs lucem veritatis aliquatenus repertam interturbare, & errare cum aliis, qui ante ipfum hac de re fcripferunt, maluiffe videtur. Quapropter aliquid paulo, utì fperamus, diligentiùs inquifitum & accuratiùs defcriptum in hac omni materiâ pertractandâ fi protulerimus, operae pretium nos effe facturos arbitramur.

Apud ſcriptores veteres omnes, ſi Martialem & Avienum, vel potiùs Avianum, exceperis, altum ubique de Auctore noſtro ſilentium. Ac Martialis quidem, L. III, *Epigr.* 20 quemdam Canium Rufum memorans, ita pronuntiat:

An aemulatur improbi jocos Phaedri?

AVIANVS autem, fabularum elegis verſibus expreſſarum ſcriptor inficetus *b*) ac prope barbarus, in praefatione ſic loquitur: *Phaedrus etiam partem aliquam* (fabularum Aeſopi) *in quinque libellos reſolvit.* Iſta porrò cùm ſint tam jejuna teſtimonia; reſtat, ut gentem, conditionem, indolem Phaedri, ac aetatem, quâ vixerit, ex ejus operibus eruere conemur.

Patriam ipſe indicare ſuam voluit Lib. III, Prol. v. 17.

Ego quem Pierio mater enixa eſt jugo,
In quo Tonanti ſancta Mnemoſyne Iovi,
Fecunda novies, Artium peperit chorum.

Et v. 54.

Ego literatae qui ſum propior Graeciae,
Cur ſomno inerti deſeram Patriae decus?
Threiſſa cùm gens numeret Auctores ſuos;
Linoque Apollo ſit parens, Muſa Orpheo.

---

b) Hujus tamen Auctoris editio ſplendida Amſtelodami anno 1731 prodiit, cum notis variorum & diſſertatione Henrici Cannegieteri doctiſſimâ.

Hos versus expenderunt Critici; dixeruntque nihilominùs, duce Pithoeo, Thracem fuisse Phaedrum. Verum tamen, si quid video, patet ex his ipsis versibus, illum fuisse Macedonem. Nam quòd se dicit in jugo Pierio genitum, vera certè ipsius est ac simplex sui generis declaratio, non ostentatio poetica, vel instituta per metaphoram fictio, quae malè cohaereret cum iis, quae subsequuntur: & hunc locum neque ipse Schefferus, neque fortè ullus unquam alius Criticus aliter intellexit. At cùm ille, ut equidem opinor, animadvertisset, Phaedri natalem locum ibi satis apertè significari, velletque nihilominùs Thracem eum fuisse, Pierum Thraciae montem dici temporibus Phaedri potuisse commentus est: quod ut probare videretur, adhibuit Strabonis testimonium, docentis quidem, Lib. X. *Hunc olim* (temporibus nempe fabulosis) *dictum esse Thraciae montem;* sed & subjicientis id, quod reticere Schefferus minimè debuit, *nunc à Macedonibus incoli.* Quid plura? Nonne Pausanias L. IX narrat, fuisse olim Pieri Macedonis nomen uni è Macedoniae montibus inditum? Nonne Plinius, *Hist.* L. IV, c. 10. Pieriam appellat regionem Macedoniae? Nonne denique veteres omnes terrarum descriptores Macedoniam à Thraciâ planè distinguunt; mediamque illam, Thraciâ hinc, inde Pierio monte, definiunt? Qui quidem mons cùm ab

aliis Macedoniae, ab aliis Theſſaliae adſcribatur; Pierium jugum, de quo loquitur Phaedrus, accipiendum nobis eſt pro eâ montis illius parte, quae ad Macedoniam pertinebat. Graecus enim fuiſſet, ſi in alterâ, quae Theſſaliae erat, natus eſſet: quod ut ne quis exiſtimaret, videtur ipſe praecaviſſe, cùm ſe *literatae propiorem Graeciae* commemoraret.

Attamen, inquiunt Critici, qui rem iſtam attigerunt, Phaedrus & Thrax fuit, & ſe ipſe Thracem his verbis indicat:

Cur ſomno inerti deſeram Patriae decus,
Threiſſa cùm gens numeret Auctores ſuos?

Attamen ſalvâ eorum eruditione dicere liceat: verba Phaedri minimè id, quod volunt, ſi rite excutiantur, ſignificant. Docet nempe Phaedrus ſuae, quae literatae Graeciae propior eſt, patriae decus nolle ſe per inertiam deſerere; cùm Threiſſa gens, quamvìs à Graeciâ ſit multo remotior, ſuos tamen Auctores, Linum & Orphea, numeret. Neque etiam temporibus Lini & Orphei Macedoniam Thraciae partem fuiſſe credidit Diodorus Siculus; is enim L. I, c. 10. Macedonem huicce regioni eſſe à patre ſuo Oſiride praepoſitum, ac Macedoniae, ante quàm nati eſſent Linus & Orpheus, dediſſe nomen, memoriae prodidit. Itaque Macedo Phaedrus fuit, neque magis, quàm Philippus Macedoniae Rex,

aut magnus ille Alexander Macedo, dici Thrax poteſt.

Cùm C. Octavius, Auguſti pater, Macedoniam adminiſtraret, vicit magno praelio, ut refert Suetonius *Aug.* cap. 3, fuditque Beſſos & Thraces. Hinc quidam opinati ſunt, Phaedrum inter captivos Romam fuiſſe delatum: ſed hoc pacto illum tempore Sejani, quo ſe ſcripſiſſe teſtatur, ſeptua genario majorem fuiſſe oportuerit: quod veriſimile non videtur: ipſe enim, L. IV, Epil. v. 16 de ſe loquens, ſic unum è ſuis patronis admonet:

Olim ſenio debilem
Fruſtra adjuvare bonitas nitetur tua.

Tunc ergo non erat neque ſenex, neque ſenio proximus. Praeterea ſi abductus eo tempore in ſervitutem fuiſſet, captum eſſe cum victis vel Thracibus vel Beſſis dicendum foret, qui barbari longè ab Auctoris noſtri patriâ erant ad ſeptentrionem remoti.

Itaque ſervus, caſúne an forte naſcendi, fuerit Phaedrus, planè ignoratur: at ſi parentibus liberis natus eſt, incidiſſe paulo poſt in ſervitutem, translatumque fuiſſe Romam, & literas ibi latinas edidiciſſe, ex eo rectè, ni fallor, poteſt conjici, quòd ipſe ſignificare videatur, adhibita puero ſibi, ut inſtitueretur, fuiſſe Ennii poetae opera, cujus etiam

versum c) sibi tunc memoriae mandatum refert; ac praesertim quòd oratio ejus munda, simplex & faceta veterem urbanitatem redoleat; quodque demum ad talem sermonis Romani peritiam vix alicubi potuerit, nisi Romae, & longo quidem à teneris usu, pervenire.

Libertas, nec sera, ut equidem reor, Phaedrum nostrum respexit; & egregiae dotes citò damnum, quod intulerat fortuna, repararunt. Docet fabularum titulus, auctorem fuisse Augusti Libertum. At quisnam fuit iste Augustus? Octaviusne Caesar, an Tiberius? Alii Octavio, alii Tiberio debuisse hunc libertatem existimant. Mihi verò conjectura de Octavio longè probabilior videtur. Etenim manumitti Phaedrum oportuit ob elegantiam ingenii, sermonisque latini peritiam: quas artes & profuisse nemini apud Tiberium, horum temporum Historia satis ostendit, & aliquem vix in honore fuisse illo regnante, versibus Sejano adhuc d) superstite compositis ipse indicat: e) ubi fatetur se, quamvìs insigniter in arte suâ se exercuerit, fastidiosè tamen in Musarum coetum recipi. Praetereà fabulam, quam fecit de Ranis f) Regem petentibus, in Ti-

c) Lib. IV, v. penult.

d) Lib. III, Prol. v. 41.

e) Ibidem v. 23.

f) Lib. I, fab. 2.

berium & Caligulam plerique, nec temere, interpretantur, illumque parvi Tigilli, hunc Hydri nomine intelligunt: & hoc Suetonius, *Calig.* c. 2 quadantenus asserit, dum Tiberium exhibet, qui, successorem indicans, natricem, quod est serpentis genus, Populo Romano educare se dictitaret. At Phaedrus animum passim probat sibi fuisse magis beneficii memorem, quàm ut Principem, à quo accepisset id, quod putabatur summum bonum, tam acerbo contemptu destringeret. Denique litem à *Divo Augusto* decisam referens: *Narrabo*, inquit, *memoriâ quod factum est meâ*: unde colligere licet, cum ipsius aetate libertatem ab Octavio acceptam convenire commodè.

Invidiae calumniaeque vi oppressum se, malisque gravioribus immersum, saepe conqueritur. Adductus etiam in aliquod vitae periculum credi hinc possit, quòd supplex & reus, quanquam innocens, imploret misericordiam g) hominis, cujus nomen reticet; quem verò fuisse judicem, satis apertè declarat his verbis:

Decerne, quod religio, quod patitur fides.

Ea nimirùm est religio judiciorum, ea fides jurisjurandi, quo se Romani judices adstringebant, lites à se ex aequo & bono praescriptisque legum de-

g) Lib. IV, Epil. v. 20.

cidendas fore. Neque abfimilí ratione intelligenda funt haec, quae proximè antecedunt:

Tuae funt partes; fuerunt aliorum priùs;
Dein fimili gyro venient aliorum vices.

In editione quidem Davidis Hoogftratani, fplendidâ oppidò & magnificâ, *h*) hi verfus fic explicantur: *Te decet exemplum dare aliis bene de opere meo judicandi.* Sed interpretationem iftam cave, Lector, ne ponderis effe alicujus exiftimes. Non hìc agitur de fabellis, at de fortunis vitâque Phaedri; fenfusque hujus loci talis eft: Tuae funt partes in meâ caufâ judicandi: alii jam antea Iudices munus fuum (annuum videlicet) injudicatâ re obiverunt; aliique porrò quafi in gyrum (id quod deprecor) fuccedent, nifi reum me abfolvi ac dimitti pro tuâ mifericordiâ diligenter curaveris.

Reus itaque Phaedrus ad varia fuit tribunalia traductus. Ac primùm quidem Sejanum *i*) accufatorem, fimulque teftem ac judicem habuit. Poftmodùm hoc deturbato ab omnibus fortunis, extinctoque, non idcirco tamen miffus ille abivit; fed alii, five Sejani mortui vindictam & incoepta perfequentes, five propriâ fimultate inftincti, affligare

h) Quae in ufum Sereniffimi Principis Naffavii anno 1701 prodiit Amftelodami in 4to, figuris elegantibus permultis adornata.

i) Lib. III, Prol. v. 41.

ipſum obſtinarunt, aut perdere etiam tentarunt: & ii ſunt, contra quos loco ſupra memorato miſericordiam implorat Iudicis; ac difficulter quidem ſpiritum dicit *k*) continere ſe,

Integritatis qui ſincerae conſcius
A noxiorum premitur inſolentiis.

Sed nominare quemquam illorum non audet, ipſe qui Sejanum viventem florentemque nominaverat; quia nempe damno ſuo didicit, hanc veriſſimam eſſe, quam refert, Ennii ſententiam:

Palam mutire plebeio periculum eſt.

Nunc autem ſcire ſi velis, quâ ille viâ tantum ſibi infortunium arceſſiverit; en ſeipſum mali ſui auctorem & architectum fatetur L. III, Prol. v. 38, ubi Aeſopum memorans dicit:

Ego porrò illius ſemitâ feci viam;
Et cogitavi plura, quàm reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.

Quasdam videlicèt é ſuis fabellis vult intelligi, quibus Sejani aliorumque iras in ſe concitaverit. Eas quidem aſſignare non mihi, niſi ex mérâ conjecturâ, licet; vix tamen poſſum quin prorſùs exiſtimem, libri primi ſextam de Sole & Ranis ad invidiam Sejano faciendam pertinuiſſe; quòd Liviam ille, ſive Livillam, Druſi Neronis Germanici filiam, quae

---

k) L. IV, Epil. v. 30.

Caio Augusti nepoti, moxque Druso Tiberii filio unico antea nupserat, *l*) uxorem sibi ausus esset postulare, & istâ ambitione tam insolenti, vulgi rumorem, odium procerum, Tiberii ipsius suspiciones excitasset. Hanc porrò fabellam, cujus perspicua brevitas mirâ cum elegantiâ conjuncta est, integram referemus; & nostram subjiciemus interpretationem.

Vicini furis celebres vidit nuptias
Aesopus, & continuò narrare incipit.
  Uxorem quondam Sol cùm vellet ducere,
Clamorem Ranae sustulere ad Sidera.
Convicio permotus quaerit Iupiter
Causam querelae. Quaedam tum stagni incola:
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque miseras aridâ sede emori:
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

Liviam adulterio corruperat Sejanus, perpuleratque, ut Drusum maritum, Tiberii filium *m*) veneno tolli sineret: atque ambo speraverant, moram omnem fuisse hoc scelere sublatam, quominùs celebres fierent nuptiae: at Ranae, id est universae familiae Romanae, quarum Sol, id est, Sejanus, omnes lacus, id est, omnes domos exhauriebat, lo-

---

l) Tacitus, *Annal.* L. IV, c. 39 & 41.

m) Tacit. ibid. c. 67.

vem, id eſt, Tiberium efficaci tandem querela commoverunt, ut nefarium incoeptum diſturbaret.

Haud multo poſt exceſſit Româ Tiberius, nunquam eam reviſurus; & Capreas ſe in inſulam abdidit. Tunc fortè, compoſita ſibi amicisque tantùm, tradita in manus multitudinis fuerit fabella *n*) de Ranis Regem petentibus. Quod ubi reſciverit Sejanus, occaſionem hanc arripuerit, ut injuriam, quam ex alterâ fabellâ nuper acceperat, ulciſceretur; & accuſator, teſtisque ac judex reum laeſae Majeſtatis *o*) Phaedrum damnare tentaret. Atque hîc quidem obſervabimus, potuiſſe Tiberium parvo illo tigillo, quod Ranae inquinant omni contumeliâ, non ineptè deſignari: illum enim Romani, ac prae ceteris Duces exercituum, militesque, & multo etiam magis ſociae Gentes aſpernari his potiſſimùm temporibus coeperunt; quòd Imperii clavum deſerere videretur, & ignavus *Caprearum p*) *in rupe ſederet*, atque otiaretur tutore Sejano. Tunc etiam, ut prodit Tacitus, *q*) *contumeliae in eum dictae:* immo nuntiata ipſi probra, *quibus per oc-*

n) Lib. I, fab. 2.

o) Tacitus, *Annal.* L. I, c. 72, de Tiberio loquens: *Legem*, inquit, *majeſtatis reduxerat.*

p) Iuvenalis, *Sat.* 10, v. 93.

q) *Annal.* L. IV, c. 42, & L. VI, c. 38.

cultum lacerabatur; & fluxa senis mens aliquanto post *à Fulcinio Trione objecta.* Ille tamen, quantumvis factus fuerit ignavus & futilis, crudelis esse non destitit: at Phaedrus, omissâ crudelitate, solam ejus inutilitatem deridere voluit.

Plures alios, ut jam praemonuimus, Auctor noster offenderat: quod & ipse, cùm variis in locis, tum praesertim in fabellâ suâ ultimâ ad Philetum de Cane & Venatore significare videtur: veriùs enim adumbrare neminem, quàm Auctorem ipsum, potuit Canis ille venaticus, fortis olim adversus omnes feras, nunc ingravantibus annis debilitatus, ut qui, praedam si arripuerit, dentibus eam cariosis dimittat. Philetum dicit Phaedrus pulchrè videre, cur hoc scripserit: nos & videre, ni fallor, pariter possumus: Romam scilicet refertam scelestis hominibus, ceu vivarium feris, saepe incessiverat objurgatoriis versibus, & exagitaverat fortiter: nunc seniori, gravibusque ob id ipsum infortuniis mulctato, neque vires suppetunt, neque eadem porrò audere expedit.

Cùm Phaedrus post mortem Sejani nondum esset à suis miseriis extricatus, ad unum é suis Patronis anno Christi circiter XXXI scribebat, L. IV, Epil. v. 16, longè abesse, ut fieret *senio debilis.* Unde conjicere licet, potuisse eum facilè pervenire ad annum Claudii imperantis tertium; quo anno Sene-

ca ſcripſit Conſolationem r) ad Polybium: ſunt enim à morte Sejani ad hoc usque tempus anni non ampliùs duodecim. Interim autem, ubi ſe ex omni periculo ereptum viderit, quid potius ac melius debuit conſectari, quàm ut in otio dulci conſeneſceret? Tot aerumnis antea conflictatus, tantamque in calamitatem per ſuas fabellas deductus, an de illis in publicam lucem emittendis cogitaverit? Omnia, quae paulo ante commemoravimus, aliter eum ſenſiſſe, ſatis demonſtrant.

Iam itaque mirandum tantoperè non eſt, Apologos Phaedri vel Senecae fuiſſe incognitos; vel Senecam loqui, tanquam eos minimè noſſet, dum Polybio, Claudii Liberto, ſic blanditur cap. 27: *Non audeo te usque eò producere, ut fabellas & Aeſopeos logos, intentatum Romanis ingeniis opus, ſolitâ tibi venuſtate connectas.* Neque neceſſe eſt ad miſerum illud perfugium recurrere, quo uſi ſunt Voſſius, L. de poetis lat. Fabricius, Biblioth. lat. & alii Critici complures: Senecam loqui de Romanis ſcriptoribus; Phaedrum autem fuiſſe barbarum. Ipſe enim ſcriptorem ſe Romanum, L. II, Epil. v. 8, commonſtrat his verbis:

r) In hoc opusculo Seneca, cap. 32, precatur fortunam, *ut aperiri à Claudio Britanniam patiatur.* Quod eo ipſo anno factum eſt.

Quòd si labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.

At Latium certè favit ejus labori: ergo censendus ille est unus ex istis pluribus, quos Latium, sive Roma Graeciae possit opponere: ergo Romanus scriptor habendus est. Si quis olim Romanus, suae Gentis admirator, ingenia voluisset Romana celebrare, quae se in Comoediis latinis expoliendis cum laude exercuissent, an Terentium, quod Afer gente fuerit, omisisset? Phaedrus ergo, aequè ac Terentius, inter scriptores, non barbaros, sed Romanos debet recenseri.

Nunc praeditum Auctorem nostrum fuisse ingenio paulùm acerbo acriculoque, ex variis supra memoratis exemplis intelligere licet. Urbem nempe, & populum, & principes sale multo defricuit; fabellaeque ejus nonnullae quamdam Satyrarum, festivam quidem, at molestam sontibus, amaritudinem habent; ipsique fortè possis adscribere, quod de Horatio Flacco dixit *Sat.* I, v. 116 Persius:

Omne vafer vitium ridenti *Phaedrus* amico
Tangit & admissus circùm praecordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.

Ejus autem in hominum vitâ moribusque ostendendis libertas paulo fortasse audacior, improvida certè & Auctori damnosa, videtur fuisse conjuncta cum amore magno probitatis: nam à vitiis ad virtutem

ani-

animos paſſim conatur traducere: huc etiam acceſſerit neceſſe eſt ſatis generoſus nobilisque divitiarum contemptùs, ſi quemadmodùm ipſe L. V, F. 4, v. 8, & L. III, Prol. v. 21, praedicat:

Periculoſum ſemper *reputarit* lucrum,
Curamque habendi penitùs corde *eraſerit.*

Quae ſincerè ab illo veréque dici, eo faciliùs crediderim, quo majori gloriae & immortalitatis deſiderio accenſum ſe demonſtrat, dum ſe ipſum collaudat his verbis, L. III, Prol. v. 61, paulo forſitan ſignificantioribus:

Ergo hinc abeſto, livor, ne fruſtra gemas,
Quoniam ſolemnis mihi debetur gloria.

Et Lib. V, F. 5, v. 44:

Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium Literis.

Atque hi quidem verſus commoverunt Adrianum Baillet, ut in opere, quod inſcripſit, *les Iugemens des Sçavans*, to. 4, p. 148, nos moneret, laboraſſe Phaedrum morbo quodam, plerisque Scriptoribus antiquis Romanis familiari; ſenſuque communi, cùm de ſeipſo ſic loqueretur, tantùm non planè caruiſſe. At cùm ſolus, talisque Auctor, cenſuram tam ſeveram exercuerit, poeticam hanc licentiam, quam Horatio perinde ac Phaedro petulanter objicit, nos facilè, hominibus praeſertim nullâ verâ inſtructis religione, condonabimus. Non

ita benignè ſpurcam aequè ac indoctam narrationem, quam Phaedrus de Canum Legatis ad Iovem confinxit; vel impudicam obſcenitatem, cujus veſtigia in fabellis ejus duabus tribusve ſuperſunt, excuſari poſſe credimus: neque arbitramur hos eſſe, quos in Epigrammate ſupra memorato *improbi jocos Phaedri* Martialis vocat; ſed putamus Apologos ejus lepidos generatim & facetos ſignificari; quòd autem appelletur improbus, nihil aliud, quàm ſi callidus & vafer diceretur, intelligimus.

DISPVTATIO II.

DE FABVLIS PHAEDRI.

FRANCISCVS Pithoeus cùm reperiſſet Phaedri Fabularum Libros quinque, manu antiquâ ſcriptos, miſit fratri ſuo, Petro Pithoeo, qui primus eos anno 1596 in lucem edidit. Opus ab injuſtâ tot ſeculorum oblivione vindicatum plauſu magno exceptum eſt; & nemo tunc dubitavit, quin illius eſſet, cujus nomen in fronte praeferebat. Circa idem tempus inter veteres aliquot Petri Danielis Codices, qui Paulo Petavio, Senatori Pariſienſi, ceſſerant, Chartula detecta eſt, quae Libri primi tertiam fere partem

continebat. Hanc porrò Chartulam alii Petavianam, alii Schedas Regias, alii etiam Codicem Vossianum appellant: unde plerique Critici recentiores ita perturbati sunt, ut dubitaverint, annon hujusce modi plures exstitissent. Sed unicam illam Petri Danielis fuisse rescivimus, quam cùm ab isto Paulus Petavius habuisset, hoc deinde mortuo emit cum aliis ejusdem Libris Regina Suecorum, atque utendam Gerardo-Ioanni Vossio permisit: ea demum, post mortem Reginae delata est ad Bibliothecam Vaticanam, ubi hodieque servatur. Accessit quoque, nec ita multo post primam editionem, alterius vetusti Codicis, Remensis scilicet, Pithoeano quidem per omnia prope similis, aliquâ tamen diversitate commendandi auctoritas.

His autem priscarum aetatum testimoniis, variisque doctorum hominum suffragiis & editionibus & commentariis rite munitus Phaedrus ad annum seculi proximè superioris decimum nonum pervenerat; cùm Petrus Scriverius, vir inter Criticos olim celebris, vocem in suis animadvers. ad Martialem, L. III, Epigr. 20, satis superbam, pro imperio, emisit; jussitque haberi vel insanos judices, vel nugatores otiosos, qui adscriberent Auctori nostro fabulas, quae sub ejus nomine circumferuntur. Hominem in hanc sententiam perpulerunt cùm rationes variae, quas in aliud tempus differre se dixit,

nunquam autem protulit, tum ea potiſſimùm, quam eruit ex Cornucopiâ, *s*) ſive ad Martialem Commentario Nicolai Perotti Archiepiſcopi Sipuntini. Is enim ad Epigramma Libri primi ſeptuageſimum ſeptimum, quod centeſimum quintum eſt in Cornucopiâ, ſic loquitur: *Alluſit* (Martialis) *ad fabulam, quam nos ex Avieno t*) *in fabellas noſtras adoleſcentes jambico carmine tranſtulimus:* & hanc fabulam refert, quae ipſa Phaedri de Arboribus in tutelâ Deorum fabula eſt Libri tertii decima ſeptima; niſi quòd ille ultimum verſum omiſit, tertiumque & quartum & octavum & nonum paulo aliter, ac Phaedrus compoſuit. His animadverſis Scriverius fabellas, quae Phaedri eſſe creduntur, ab ipſo planè abjudicavit; verumque Perotti fetum eſſe credidit: at quanto proclivius & viro ſagaci dignius fuit putare, in manus Perotti veniſſe exemplar aliquod fabularum Phaedri, quas ille pro ſuis venditare voluiſſet?

In hoc quidem Perotti Commentario furtum ejus

s) Quoddam eſt Latinitatis penus, ſive Lexicon, quod quidem ille, cùm Archiepiscopus intereà creatus eſſet, vulgare erubuit propter feditatem ſordium, quae ibi explicantur: ſed opus poſt Auctoris mortem, quae anno 1480 contigit, editum eſt in folio Venetiis, Pariſiis, Baſileae, & alibi ſaepius.

t) Inter fabulas Avieni haec non reperitur.

manifeſtum deprehenditur. Sed anno hujus ſeculi vigeſimo ſeptimo ſcribebat Iac. Phil. Dorvillius, ſe reperiſſe in Italiâ quemdam ipſius Codicem, in quem fabulas omnis generis Aeſopias Phaedri & Avieni & ſuas, non uno carminis genere, contuliſſet. Cùm autem ille in Praefatione dicat:

Non ſunt hi mei, quos putas, verſiculi,
Sed Aeſopi ſunt & Avieni & Phaedri;

iam non inter fures Librarios recenſendus eſt.

Quod verò crediderit Scriverius, fetum eſſe non Phaedri, ſed Perotti, fabulam de Arboribus; illud nunc, reperto hujus MSS. Codice, ex iſtis quantumvis malè figuratis verſiculis facilè poſſit refutari. Exſtitit ergo ante Perotti aetatem, Phaedri exemplar, quo uſus ille fuerit. Sed qui noſtris hiſce temporibus Scriverianam haereſim, jamdiu obſoletam, arripuit Io. Frid. Chriſtius, melioris notae Codices repoſcit, Pithoeanumque ac Remenſem ſibi finxit eſſe non multo aetate Perotti vetuſtiores. Remenſis Codex anno hujus ſeculi LXXIV ineunte cum aliis compluribus Libris incendio periit: at excerptae variae ejus lectiones paſſim occurrunt. Quod verô ad ipſius aetatem pertinet, aſſeverare poſſum annis plusquàm quingentis fuiſſe aetate Perotti ſuperiorem; legi enim & examinavi unam é Phaedri fabellis integram, ad exemplar illud Remenſe ſcalpro acuto fideliter expreſſam, quae Pariſiis in Re-

giâ Bibliotheâ ſervatur. Pithoeanum autem Codicem docuit nos Gabriel Brotier poſſideri nunc ab illuſtriſſimo Le Pelletier de Roſenbo, Senatûs Pariſienſis Praeſide, à quo utendum illum accepit: is porrò, veteris ſcripturae judex idoneus, Codicem hunc ante DCCCC annos fuiſſe ſcriptum, aſſerere non dubitat.

Tam legitimas auctoritates quâ ratione Chriſtius defugere poſſit, non video. Sed has fabellas, quas nos ſub Phaedri nomine venditamus, vix latinas eſſe, ſcatere ſaltem ineptis locutionibus contendit: quod & variis exemplis, at ſucceſſu infeliciſſimo, conatus eſt oſtendere. Ego verò ab ejusmodi adverſario refutando eſſe mihi abſtinendum eo libentiùs credidi, quòd Io. Nic. Funccius, anno jam 1747, publicatâ pro Phaedro ejusque fabulis Apologiâ, hominem illum inſanire, ſatis bellè demonſtraverit.

Critici omnes periti fatentur, vel fateri debent, quasdam in his fabulis loquendi formas inveniri Phaedro noſtro peculiares, & hinc nonnulli, eas aliquo deteriore ſeculo potuiſſe confingi, peſſimè, meâ quidem ſententiâ, ſuſpicati ſunt. Terentius enim & Horatius, ut alios omittam ſcriptores optimos, ſuum quisque ſtylum ſingularem exhibent; & ille eſt, quem Auctor noſter, Lib. V, Prol v. 8 proprium colorem vocat. Immo ſingularis iſta loquen-

di proprietas, quae locutiones quasdam, aliis Auctoribus vel minimè vel rarò usitatas, exhibeat & quidem saepe recurrentes, scriptorem antiquum planè indicat: aliquot enim, quemadmodùm Phaedri, sic & Horatii, Terentiique locutiones ejusmodi sunt, quas fere nusquam, nisi apud ipsos, reperias. At bonus quisque scriptor latinus recens, nihil simile obtulerit: aliquem enim, vel plures simul ex antiquis Auctoribus, tametsi non deditâ operâ, re tamen verâ imitatus inter scribendum fuerit; & vix ullam coagmentandi voces connectendique rationem adhibuerit, quam scripto aliquo Veterum non modò comprobatam, sed etiam ex eodem expressam formatamque deprehendere non possis.

Nunc ut quaestionem hanc de Phaedri fabulis absolvam, easque non subdititias esse, clariùs appareat; virum aliquem scientiâ Latinitatis probè instructum interrogabo, annon puro suavique stylo perscriptas existimet? Annuet sine dubio, & literatis hominibus, qui sic judicarunt, innumeris ultro se adstipulatorem adjunget. Tum sciscitabor, has sermonis urbani festivitates, hanc styli simplicis jucunditatem potueritne aliquod ingenium aetate Latinitatis sive declivi, sive senili, seu decrepitâ natum producere? Negabit oppidò, nisi sit aliquis, qualem hodie vix ullum esse puto, sectator Christii, qui Romulium quemdam fabularum scriptorem supra

id, quod dici poteſt, barbarum Phaedro anteponebat: at fortaſſe ſuſpicabitur, exiſtere poſt renatas in Italiâ Literas aliquem potuiſſe, qui tale quidpiam efficeret; monebitque quosdam à Marco Antonio Mureto concinnatos inveniri verſiculos, quos Ioſephus Scaliger, Latinitatis antiquae judex idoneus, cùm eſſe hujus fetum neſciret, Poetae Veteri Trabeae adſcripſerit: is enim ad Varronem *de re ruſticâ*, Lib. I, c. 2: *Producam*, inquit, *locum Veteris Comici Trabeae, ex fabulâ Harpace, ubi hoc loquendi genus uſurpatur, tum propter ſententiae elegantiam, tum etiam quia nondum vulgo noti ſunt:*

Here, ſi querelis, ejulatu, fletibus
Medicina fieret miſeriis mortalium,
Auro parandae lacrumae contra forent:
Nunc haec ad minuenda mala non magis valent,
Quàm naenia Praeficae ad excitandos mortuos.
Res turbidae conſilium, non fletum expetunt.

Quis enim tam averſus à Muſis, tamque humanitatis expers, ut horum publicatione offendatur?

Nihil equidem video in his verſiculis, quod bonam antiquitatem non redoleat; at cùm pauci admodùm ſint, eos tam latinè tamque ſcitè factos eſſe, non tantoperè decet admirari. Carolus autem Sigonius ubi Librum *de Conſolatione*, à ſemet ipſo elaboratum, Venetiis anno 1583, ſine ullâ praefatione, edidit ſub nomine Marci Tullii Ciceronis,

& verum hujus fetum credi voluit, quid contigit? Statim Antonius Riccobonus, & Ianus Gulielmus reclamarunt; cumque imperitam viderent multitudinem capi istâ novitate ac decipi, fraudem detexerunt, scriptisque suis, ille Bononiae, 1583, alter Parisiis, 1584, errorem proserpentem compescuerunt. In opere quippe longo styli recentioris colorem eruditis & sagacibus Criticis facile fuit animadvertere.

Semper quidem antiquos bonae Latinitatis Auctores magno sum honore prosequutus; at eos non ita veneror, ut ab omni parte absolutissimos existimem: quasi supra sortem humanam ad gradum perfectionis ultimum sese extulissent. Explanatores Veterum omnia, quae ab ipsis prolata sunt, admirari obstinatos, si fuerint alioquin eruditi, non vitupero; sed eos certè non censeo in hac re esse imitandos. Suis quisque eo nomine, quia homo est, vitiis urgetur. Audebo itaque virgam aliquando in Phaedrum quamdam censoriam exerere: at nihilo segniùs ipsum ab iniquis obtrectantium accusationibus defendam: & hîc denique monebo, vix ullum hodie Criticum inveniri, qui calumniis Scriverii, Scioppiique, & Christii indoctis non adversetur; aut qui Phaedrum generatim, si rite fabulas ejus examinaverit, sermone usum fuisse puro, suavique, & aequabili, neminemque ab illâ felici Terentii

ſimplicitate propiùs abeſſe, non ultro cum Tanaquillo Fabro *u*) judicet.



DISPVTATIO III.

DE

FABVLAR. PHAEDRI EDITIONIBVS.

Fabulae Phaedri editae in lucem primùm ſunt, ut jam diximus, anno 1596 Auguſtobonae Tricaſſium, ſive Trecis, in formâ, quae vocatur, duodecimâ, typis Ioannis Odotii: *x*) volumen paginis omnino ſeptuaginta continetur. Curavit hanc editionem Petrus Pithoeus, operique praefixit epiſtolam ad Franciscum fratrem, ubi haec de Phaedro memoratu digna: *Tibi, frater, vitam debet, quam, temporum injuriâ paene ſepulto, Exemplaris à te reperti beneficio reſtituere conatus ſum.* Notationes nullas adjecit: monet tantùm Codicem, quo uſus eſt, eſſe vetuſtiſſimum; ſimulque indicem ſcripturae veteris, à quâ receſſerit, exhibet, at paulo minùs fideliter, quàm oportuit, ut intelleximus ex Rigaltio, Neve-

u) Not. ad Phaedrum, c. 1, Sect. 2, & 3.

x) Editio haec rariſſima eſt.

leto, & Anonymo quodam, qui hanc ipsam scripturam postmodùm examinarunt. Nonnulla etiam Pithoeus noster, quae sana erant, mutavit; & longè plura, evidenter corrupta, ne tentavit quidem emendare: sed ista plerumque tam absona tamque absurda sunt, ut quivis paulo peritior, profecta esse ab inscitiâ Librariorum, statim intelligat, & facilè quaedam ipse possit aliquando restituere.

Quae duobus post annis Editio prodiit ex officinâ Plantinianâ Raphelingii, nihil à Pithoeanâ differt; sed notis Rittershusii egregiis illustrata est. Hanc porrò describere, quia rara est, operae pretium fuerit. Franc. Raphelingius, typographus doctissimus, cùm vellet, ut ipse loquitur, donare lectorem *Enchiridio gemino philosophiae poeticae, theorico & practico*, ab hoc posteriore initium fecit, deditque Phaedri fabulas cum notis Cunr. Rittershusii & Gasp. Scioppii: quibus adjunxit Symposii poetae, vel potiùs Symposii nomine insignita Lucil Caecilii Firmiani Lactantii Aenigmata cum Scholiis Iosephi Castalionis, & Auctarium quod fabellas Gabriae, seu veriùs Ignatii Diaconi, Apologum Hesiodi, Aenigmata graeca vetera cum interpretationibus latinis, item Apologos Horatianos & Aenigmata aliquot poetarum latinorum complectitur. Quae omnia prodierunt in 8vo Lugd. Batavor. anno 1598. Pars autem dignitate prior eodem anno, sed ali-

quanto post alteram publicata est, ita tamen ut praecedere possit; nam titulum habet proprium & singularem; nulloque signo instructa est, quo quidquam praevium indicetur: ea porrò continet Publii Syri sententias, & Dionysii Catonis Disticha, totidem graecis versibus, illas à Ios. Scaligero, haec à Planude reddita; etiamque ad ea Disticha notas ejusdem Scaligeri.

Partem istam non invenio in editione repetitâ ab eodem Typographo ibidem anno 1610, quae praeter cetera modo memorata exhibet Ioannis Meursii animadversiones in Phaedrum, statimque ab initio epistolam ejusdem ad Rittershnsium cum Rittershusii responsione. Hae porrò Meursii animadversiones viro tam erudito prorsùs indignae sunt: non tantùm enim multa esse mutanda & interpolanda & addenda & abscindenda perperam opinatur; at versus etiam aliquot tam enormiter diffingi vult, ut jam non ipsa sive sensûs, sive latinitatis, seu metri ratio constare possit.

Sub finem anni 1599 absoluta est, & anno 1600 Parisiis in 12 prodiit editio Nicol. Rigaltii: in quâ recedere ille à Pithoeanâ noluit, nisi ut Pithoei codicem, quem utendum habuit, fideliùs in aliquot locis exprimeret: commentationes addidit, nonnunquam quidem vel ineptas vel inutiles, at conjecturas intermiscuit quasdam & plausibiles & felices:

atque non modò varias vetuſti Codicis lectiones, quas Pithoeus praetermiſerat, vel commemoravit in notis, vel Indice ad calcem rejecto exhibuit, ſed etiam Petri Danielis Chartulam, cujus fata ſupra explicui, cum vulgatis Libri primi fabulis multis contulit. Uſum in hâc editione Rigaltium fuiſſe Codice Remenſi, nondum reperto, Ioan. Albert. Fabricius, Biblioth. Lat. Supplem. Edit. 1721, dicere non debuit: Virum ceteroqui diligentem errore impedivit epiſtola Rigaltii, quam ille ex hâc primâ editione deſumptam, paucis tantùm de Codice Remenſi verbis additis, editioni ſuae ſecundae praefixit, & ſubſcriptam, ut antea, ad X Kal. Sept. 1599, oſcitanter reliquit, cùm annum 1617 notari oportuiſſet.

Editio Rigaltii ſecunda, & faſciis marginum & Literis capitalibus minio coloratis diſtincta, anno 1617 ex officinâ Rob. Stephani Pariſiis in 4to prodiit: rara eſt, & cùm ſe elegantiâ ſuâ aſpectabili commendet, in pretio ſatis magno eſt apud imperitos: at certè editione ejusdem primâ longè eſt minùs utilis: nam quòd illa contextum operis à Pithoeano diverſum non rarò exhibet, id plerumque non tam diverſitati Codicum, quàm edentis libidini adſcribendum eſt: qui quamvis ſaepe ab ipſo ſuo manuſcripto Codice Remenſi diverſus abierit, & nonnulla etiam Auctoris verba malo prorſùs exem-

plo omiserit, nihil fere usquam super his disseruit lectoremve commonuit. Tertiam editionem anno 1630 in 12 Parisiis apud Sebastianum Cramoisy emisit; in quâ notas paulo uberiores, non multo utiliores, ex primis secundisque curis coagmentavit; at Phaedrum aliquanto etiam licentiùs, quàm in praecedenti editione diffinxit.

At hic disquirenda mihi quaedam & explicanda sunt, quae Criticorum, nisi fallor, non respuet curiositas. Ab hominibus Societatis nostrae plurimis me saepe audire memini, atque etiam in Memoriis, quae vocantur, Trevultianis, ad annum 1708, pag. 785, id scripto consignatum est, Iacobum Sirmondum nostrum fabulas Phaedri primum in Lotharingiâ reperisse manuscriptas, donoque ipsas amico suo Petro Pithoeo dedisse. Haec me satis diu sollicitum tenuerunt. Vix enim, si res ita esset, fieri potuisse intelligebam, ut nihil de Sirmondo Pithoeus in Epistolâ editioni suae praefixâ perhiberet. Sed cùm editionem Rigaltii secundam recognoscerem diligentiùs, ac dispicere vellem, an praemissa Epistola ea ipsa omnino foret, quam ille anno 1599 scripserat; is statim ab initio meam de totâ hâc quaestione dubitationem sustulit. Ibi enim nuntiat, *Phaedri libellos ad fidem Pithoeani Codicis & alterius item vetustissimi, quem ex Remensi Bibliothecâ doctissimi viri Iac. Sirmondi cura deprompsit, recognitos.*

Itaque Sirmondus, non in Lotharingiâ, ſed fortè cùm è Lotharingiâ rediret variis Codicibus manuſcriptis ditatus, hunc quoque Phaedri, non primum, ſed alterum Codicem in Bibliothecâ Remenſi invênit, quem utendum, non Pithoeo, ſed Rigaltio obtulit.

Tanaquillus Faber anno 1657 Phaedri fabulas unà cum Pub. Syri Sententiis edidit Salmurii in 4to: malam quidem Rigaltii editionem tertiam ſequutus eſt; at obſervationes adjecit, quae doctrinam plerumque jucundam ſimul & reconditiorem exhibent, quanquam ab ipſo Phaedri opere illuſtrando aberrant ſaepius, & rarò huic caſtigando inſerviunt. Ibidem rurſus prodiit, anno 1664 in 12 iſta editio, at longè locupletior; namque Auctor & gallicam Lud. Iſaaci *Le Maître de Sacy a)* interpretationem, & animadverſiones in eam gallico, latino autem in Io. Schefferi editionem ſermone ſcriptas adjunxit. Editio haec Schefferi prodierat Upſaliae anno 1663

a) Cum iſto Porturegienſi Interprete aemulati ſunt, Robertus *Prevoſt* anno 1702, & Ioan. Claudius Fabre, Oratorii Ieſu Sacerdos, anno 1728: ſed de his, aliisque varias in linguas verſionibus, ut & de quibusdam editionibus latinis, quas vel non expendi, vel expendere neglexi, quidquam diſſerere, ut brevitati conſulam, ſuperſedebo.

in 8vo cum ipsius annotationibus & Franc. Guyeti notis, nunquam antea vulgatis.

Schefferus, vir neque illiteratus, neque mediocri Latinitatis scientiâ praeditus, animo satis aequo accepisse Fabri reprehensionem videtur: hujus enim & doctrinam extollit in editione suâ alterâ, & observationes ipsas, quas exscribit fideliter, mirificè laudat, cunctisque longè anteponit quae huc usque prodierant: eas tamen magnâ cum libertate excutiendas à se & arguendas, ubi censurae locum dederint, praenuntiat: verùm id homo mitis stylo plerumque potiùs imbelli, quàm hostili, ad extremùm praestitit. Ex conjecturis autem quas ad emendandum Phaedrum multas proponit; felices paucas invênimus. Atque etiam cùm inter ipsum & Nic. Heinsium crebrae Literae de Phaedri fabellis ultro citroque missae fuissent, hinc putavit Pet. Burmannus multa eum pro suis venditasse, quae Heinsius reperisset: at ille non modò in Praefatione, sed passim etiam in notis, plurimùm se & Nic. Heinsii & Io. Frid. Gronovii subsidio usum esse, ultro & candidè significat.

Ioannis Laurentii juris consulti labor, cui Phaedrus cum notis variorum, Amstelodami, 1667, in 8vo excusus debetur, neque imperitos multùm adjuvat, neque eruditis placuit. Is enim ad nullas prope doctorum hominum, qui viam muniverant, observationes attendit, ut fabularum contextus

emen-

emendatior prodiret: notasque praetereà, quae jam vulgatae fuerant, & quas integras nuntiat esse recudendas, aut malè diminutas plerumque exhibet, aut imperitè dispescit: suas quidem addidit ex Iuris prudentiâ petitas; at iis fere semper sine ullo suo damno carere Phaedrus potuit. Locum tamen inter Auctores, qui cum Variorum notis impressi sunt, editio ista satis insignem obtinet, si spectes ad pretium, quo solet à curiosis librorum amatoribus comparari. Figuras quidem in aes incisas complures continet; sed ab illis certè abest elegantia; inter ipsas autem duae vel tres obscenae sunt; & haec fortè causa est, cur opus inficetum anxiè requiratur. Qui sapiunt, editionem Burmanni sive primam, sive secundam, notis itidem Variorum instructam, de quibus mox agetur, acquirere conantur, & istam negligunt.

Phaedrum interpretatione & notis illustratum Petrus Danetius in usum Serenissimi Delphini, Parisiis, anno 1675, in 4to edidit. Hunc passim Hoogstratanus & Burmannus non modò exagitant, sed conviciis etiam proscindunt. Horum quidem censuram, quòd atrox & contumeliosa sit, valde improbo: at fateri cogor, editionem omnem istam Danetii nostri vix aliquâ mihi ex parte visam esse commendabilem. Ea longo post tempore, anno scilicet 1726, ibidem & itidem in 4to recusa est,

atque etiam, si titulo creditur, emendata & notis aucta selectissimis: at in istâ hominis incogniti lucubratione nihil fere animadvertere mihi licuit, nisi inscitiam veterem novâ inscitiâ cumulatam.

Cùm videret Petr. Axenius, editiones Rigaltii duas priores esse inventu difficiles, notas ejus ad hanc & ad illam adjectas denuo in lucem anno 1671, in 8vo, Hamburgi emisit; atque his exornari satis & illustrari Phaedrum ratus, nihil fere ex se contulit, nisi quòd librum dumtaxat primum observationibus, non ineruditis quidem, sed ad meram plerumque philologiam spectantibus, explanare tentaverit.

Daniel Hartnaccius, Pomeranus, anno 1697, Rudolphostadii, sumptibus Ioan. Wiedmeyeri, bibliopolae Lubecensis, edidit in 8vo Phaedri libros V fabularum cum notis, ut ipse loquitur, historicis, ritualibus, moralibus & philologicis: spissum opus, octingentis & paulo ampliùs paginis comprehensum. Ex Auctoribus ille Graecis & Latinis, sacris & profanis, infinitas prope lacinias obtrudit, quibus Phaedrum multo saepius obruit, quàm illustrat: gravissimi etiam ac frequentissimi errores typographici augent importunitatis hujus molestiam: non frustra tamen omnis Hartnaccii nostri effusus est labor; quosdam enim adhuc inveniri Literatores puto, quos ista, quamvis paulùm indigesta, doctrinae varietas vel adjuvet vel etiam oblectet.

Phaedrus cum integris commentariis Marquardi Gudii, Conradi Rittershusii, Nicolai Rigaltii, Nicolai Heinsii, Ioan. Schefferi, Ioan. Lud. Praschii, & excerptis aliorum, anno 1698, Amstelodami in 8vo prodiit curante Petro Burmanno, qui suas etiam observationes addidit. Hanc ille editionem recudi curavit Hagae Comitum anno 1718; faseturque pauca admodùm accessisse nova, eaque levis esse momenti, nisi quòd praeter quinque fabulas ex vetustis exemplaribus à Gudio erutas, alias viginti novem ex oratione solutâ valde inficetâ & barbarâ ad Senariorum dignitatem à se restitutas pro auctario dederit. Sed appendix ista Gudiana, multoque magis Burmanniana vix ullam, quae Phaedro digna sit, mihi visa est fabulam continere.

Quod autem ad ipsam editionem pertinet, ab eruditis judicibus multùm illa, & meritò, laudata est: praecipuos enim Phaedri commentatores simul collectos exhibet, notasque Heinsii & Gudii continet fideliter exscriptas, quae, abfuisset opera Burmanni, nunquam fortè prodiissent. Monebo tamen, Heinsii notas plerasque viro tam sagaci tamque erudito esse indignas. Sed apud aequos ille judices facilè excusatur: nimirùm inter legendum vel ad marginem adscribebat, vel conjiciebat properanter in adversaria sua quidquid in mentem venisset; neque literatis hominibus injucundum aut inu-

tile eſt reſcire, quid rectè, quid etiam pravè magna ingenia quodammodo ebullierint. Gudii notae doctrinam paſſim reconditiorem offerunt: neque tamen, niſi paucis in locis, Auctori vel emendando vel illuſtrando multùm inſerviunt. De variis ejus lectionibus placet unam alteramque hîc exponere, ſimulque refutare, ne error ipſas approbantium propagetur. Lib. V, F. 5, v. 20: *Multis onerant laudibus:* ad haec ille: MSS. *Remenſis & Pithoeanus:* ONERANT LANCIBVS: *quae ſanè eſt antiqua, ſed hactenus à viris doctis non intellecta lectio.* Deinde probat eruditiſſimè Lances olim, induſtriae praemium hiſtrionibus datas fuiſſe: ſed hoc ut in iſtis ludis fieret, Lances in Theatrum afferre ſecum debuiſſent Spectatores, quibus onerare Scurram, de quo hîc agitur, potuiſſent: quod certè uſu unquam veniſſe Romanis nemo, opinor, conceſſerit.

L. I, F. 5, v. 7:

Ego primam tollo, nominor quia leo:

doctis & laborioſis demonſtrare conatur Gudius argumentis, pro, *Leo*, reponendum eſſe, *Creon*, ut ſyllaba vocis, *quia*, ultima, quam naturâ ſuâ brevem eſſe vult, produci poſſit ob mutam & liquidam, quae in voce, *Creon*, hoc pacto ſubſequentur: &, *nominor quia Creon*, idem eſſe ac, *quia rex nominor;* &, *Creon*, &, *Creuſa*, pro, Rex, &, *Regina*, rectè dici poſſe contendit. At ſi Leo rectè

dici poteſt, *Creon*, licebit ergo Aquilam quoque vocare, *Creuſam:* quod vereor profectò, qui seriò dixerit, ut homo ſatis ſanus exiſtimandus ſit.

Cùm crederet Burmannus ſuam denuo operam repoſci ab Auctore noſtro, ut perpoliretur, & ab importunâ quorumdam Criticorum vexatione vindicaretur, ipſum diligentiùs, quàm antea, emendare ſtuduit, & commentario ampliſſimo communitum, Leidae in 4to anno 1727 edidit. Quamvis autem in hac editione paulo fortè intemperantiùs effuderit, quidquid è variis Auctoribus excerptum, & in penu ſuo Literario reconditum, ad fabellas Phaedri ſuffulciendas aptum fore credidit; quamvis teſtimonia Veterum adducat multa, quae fere nihil appoſitè ad Auctoris vel explicandas locutiones obſcuras, vel comprobandam latinitatem, conferant; & longiſſimas etiam diſputationes, quae parum ad rem aliquando pertineant, inſtituat, magnâque & infinitâ contentione perſequatur; atque ita non unum locum, quem vocaverat in controverſiam, immenſis doctrinae quaſi ſubſtructionibus obruat & ad extremùm relinquat minimè explanatum: attamen, ſi rite expendantur omnia juſtéque compenſentur, non dubito, quin peritis aeſtimatoribus opus univerſum laude ſingulari dignum videatur. Ego certè Literatoribus, qui ſe in arte criticâ exercere amant, ſuadebo, ut Commentarium hunc Burmanni

totum percurrant, magnamque ex eo utilitatem perceptum iri pollicebor.

Ipſum autem ad exantlandos extremos illos labores perpulerant cùm editio Phaedri à Richardo Bentleio concinnata, tum Franciſci Hare epiſtola Londini in 4to anno 1726 publicata, quâ notas ille ac emendationes Bentleii ſeveriſſimè expendit, offenſus ſcilicet infenſuſque, quòd accuratam à ſe Terentii editionem oppoſitâ Bentleius Auctoris ejusdem editione novâ ſuggilaſſet. Utrumque porrò carpit Burmannus, alterum, quòd parum comiter ſecum egerit in editione Phaedri; alterum autem, quòd neque ſatis rectè animadvertiſſe in Bentleium, neque de ſe ſatis honorificè ſenſiſſe videatur: ergo paſſim in iſto novo Commentario & hic & ille pariter exagitantur. De Bentleii editione, quae anno 1726, in 4to Cantabrigiae prodiit, nihil differam: monebo, tres tantùm in eâ quatuorve fabellas inveniri, quas ille non interpolaverit.

Tribus annis poſt primam Burmanni editionem prodiit Phaedrus Amſtelodami in 4to notis à Davide Hoogſtratano illuſtratus in uſum sereniſſimi Principis Naſſavii. Nobili grandium typorum elegantiâ commendat ſe haec editio; figurisque etiam in aes inciſis, artificio ſanè plauſibili, quam plurimis ornata eſt: atque iſtâ duplici ſpecie praefulgens curioſos homines in publicis auctionibus excitare ſolet,

ut ipſam majore, quàm ceteras, pretio ſi queant comparare, decertent: praetereà in menſtruis eruditorum Pariſienſium adverſariis ad annum 1702, paginâ 78, valde laudatur, aſſeriturque deeſſe nihil operi univerſo, quo minùs placere aut prodeſſe debeat. At ſententiam proferre cogor paulo diverſam, & monebo, hanc quidem editionem abundare elegantiâ, ſaepe autem utilitate deſtitutam inveniri: etenim non modò multae occurrunt, in Phaedti fabulas admiſſae, emendationes variorum Criticorum aliquanto audaciores; ſed illarum etiam auctores rarò nominantur; pariterque rarò MSS. Codicum ac veterum editionum variae lectiones indicantur; quod tamen praeſtandum fore Praefatio ipſa polliceri videtur.

Sed ut in aliquem locum cenſura defigatur, valde dubito, an quisquam, praeter Gudium & Hoogſtratanum, approbaverit, ſitve unquam approbaturus lectionem, quam hic ab illo acceptam intruſit in Libri ſecundi fabulam quintam, ubi, v. 22, *alapae*, pro, *alacer*, quod MSS. Codices & editiones omnes habent, repoſuit, & edidit:

Donationis, alàpae certè, gaudio:

ut ſignificetur, ſervum, de quo hìc agitur, donationis alicujus, aut ſaltem alapae gaudio ſive ſpe excitatum fuiſſe. Nam ſi vera eſſet iſta emendatio, parum prudenter ſcripſiſſe Phaedrus videretur, quip-

pe qui alapam, quo nomine manumiſſio ibi intelligi debet, minùs donatione aliquâ eſſe famulis exoptandam declaraviſſet.

Phaedrum denuo Amſtelodami, in 12, anno 1711 cum notis jam aliquâ parte auctioribus, neque tamen magis quàm antea utilibus, Hoogſtratanus edidit, & in hâc tandem editione, permotus auctoritate Gudii, & Broukhuſii approbatione confirmatus hanc lectionem, Lib. I, F. 5, v. 7, tanquam genuinam, excudi juſſit:

Ego primam tollo, nominor quia Creon:

de quâ quid ſentiendum eſſe arbitremur, ſupra diximus.

Prodierat ibidem in 12 paulo majore Phaedrus anno 1703, cum notis perpetuis Io. Frid. Gronovii, & emendationibus Iac. Gronovii, ſimulque adjectis Nic. Diſpontini collectaneis. Nitidè, eleganter, & accuratiſſimè opus univerſum excuſum eſt: at ſi collectanea Diſpontini, ſive criticum in omnes Auctoris fabulas indicem exceperit, pauca inveniet, quae laudare poſſit Lector eruditus. Index ejusmodi à Io. Freinshemio concinnatus anno 1664 Argentorati in 8vo jam publicatus fuerat; ſed utilior perfectiorque videtur Diſpontini labor; atque ſuâ eum laude fraudare non debet praefatio longiſſima, quâ Petri Danetii notas in Phaedrum expendit ac ſingillatim exſugillat homo furioſus, ſtudio ſane odioſo perinde ac inutili.

Frid. Gronovii notae viro tam docto non sunt dignae; neque causa profectò satis magna exstitit, cur pro illis vindicandis Iac. Gronovius in Gudium tantopere debaccharetur: ipsum enim dicit suo patri suffuratum fuisse quidquid boni ad illustrandum Phaedrum compilaverit, & nusquam indicavisse, per quem profecerit. Hinc prorsus *amentem illum, & possessum ab furiâ fuisse* clamitat in suis emendationibus, p. 159: quae quidem emendationes non multo magis utiles mihi visae sunt, quàm contumeliae, quibus adversarium inquinare conatur.

Partes Gudii defendendas suscepit Ioan. Christophorus Wolfius, Phaedroque anno 1709 in 8vo Flensburgi edito, memoriam Gudianam, calumniis contaminatam, vindicare aggressus est. Hanc editionem videre mihi nunquam contigit; eamque praetermisissem silentio, nisi aliunde didicissem, Phaedri fabulas in ipso titulo nuntiari *unâ auctiores;* eamque non esse Phaedri, sed Ioannis Commirii nostri fabulam; quam quidem Phaedro potuisse ab homine sano & vigilante abscribi, neutiquam profectò credibile est. Ibi enim graphicè, quamvis per allegoriam, Batavos poeta pingit à Ludovico XIV debellatos. Titulus autem talis est: *Appendix ad fabulas Phaedri, ex Bibliothecâ Leidensi; Sol & Ranae;* Parisiis, apud Francíscum Muguet, 1672. Et ad calcem adjectum est: *Iuxta exemplar*

editum Amstelodami ad insigne Iosue. Nimirùm apud Historicos horum temporum complures memoratur Iosue van Beuningen, Batavorum Legatus é Galliâ redux, curavisse percutiendum numisma, in quo exsculptus ipse stans coram Sole fuisset, additâ hâc sententiâ; *In conspectu meo stetit Sol.* Sed Ludovicus Aubery du Maurier in suis Commentariis, paginâ 70, editionis Parisiensis anni 1688, falsa haec esse contendit: cujus opinionem Franc. Maria Arouet de Voltaire longo post tempore amplexus est: neuter verò niti argumentis satis idoneis mihi videtur: asseritur, non inveniri hoc Numisma; sed inde probatur tantùm, accuratissimè fuisse suppressum, quemadmodùm alia quaedam ejusdem modi Numismata, quae circa idem tempus à Batavis cusa sunt, nec ampliùs inveniuntur.

Phaedrum Ioan. Georg. Walchius anno 1713 Lipsiae in 12 cum suis emendationibus & commentariis edidit, adjunxitque Symposii Aenigmata, Gabriae fabulas, Antonini Liberalis Metamorphoses, ac Senecae Publiique Syri sententias. Curam ille praecipuam commentariis ad Minellii modum concinnandis adhibuit. Hoc locubrationis genus nimis severè Burmannus damnat praefat. 1719 & 1727; vocatque Minelliorum, Iunckerorum & Walchiorum pueriles notas; atque hinc etiam puerorum ingeniis calamitatem inferri, messemque surgentem

intercipi exiſtimat. Nos operam hujuscemodi valde utilem fore opinamur, ſi locutiones Auctorum nullae explicatu difficiles ſubterfugerentur, nec tam ſaepe vana obtruderetur interpretatio, ubi plana & aperta ſunt omnia. Diſſertationem etiam de Romano ac ſpeciatim de Phaedri ſtylo Walchius praemiſit, quae pauca ſatis prudenter ſatisve acutè diſputata continere videtur.

Nitidè ac eleganter anno 1742, Phaedrus unà cum Avieno Publioque Syro prodiit Pariſiis in 12 apud Conſtelier, curante Io. Baptiſtâ Le Mascrier, qui parum ſcitè, parumque diligenter omnia diſpenſavit, & providere vel neglexit vel non potuit, ne mendis ſive propriis, ſive typographicis nec paucis Literatores offenderet.

Typis quoque nitidis & elegantibus Auctor noſter impreſſus eſt cum variis appendicibus in 12 ibidem apud Barbou, anno 1747, curante Steph. Andreâ Philippe. Inveniuntur in hâc editione variae lectiones, quae ex Codice manuſcripto *Par.* excerptae fuiſſe dicuntur: qui ſit verò iſte Codex *Par.* divinandum relinquitur: pronum quidem erat exiſtimare eum *Pariſienſem*: at hujuscemodi nullus tunc Pariſiis exſtabat. Quae me cùm anxium tenerent, demum in Burmanni ultimam, anni 1727, editionem incidi; cujus Praefatio lectiones continet has ipſas omnes, quarum originem reperire avebam:

at descriptae illae sunt ex hoc Nicolai Perotti Codice, de quo in disputatione secundâ nostrâ locuti sumus. Si quis objiciat, voluisse fortè novae hujus editionis architectum indicare Codicem Perotti, & scripsisse, *Per*, quod in, *Par*, mutaverit Typographus; non multum repugnabo, quanquam verisimile non est, errare semper tamque saepe in eâdem voce Typographum potuisse. In hâc porrò editione & inveniuntur aliquot versus subditii, & alii plures, qui Phaedri sunt, excluduntur, ac denique passim ab editionibus probatissimis receditur. Monet etiam, praefat. pag. 14. Gabriel Brotier, usum esse Stephanum Philippe adnotationibus Sanadonis nostri ineditis; miraturque quòd nusquam ab ipso nominatus fuerit, per quem se profecisse crederet. Sed laborem ille fortasse in hanc editionem illaudabilem tenuissimum contulit: memini enim, cùm Iosephus Valart mihi olim Parisiis diceret, se procurando omni operi ordinandoque praefuisse.

Majoribus, quàm antea, copiis instructus, Halae tandem Phaedrus anno 1779 ad amplitudinem duorum voluminum in 8vo pervênit. Editionem hanc Io. Gottl. Sam. Schwabe, scholae Buttstadiensis Rector, accuravit: fabulas ad ultimam configuravit Petri Burmanni recensionem, easque & vitam ipsam Auctoris à Io. Scheffero concinnatam selectis illustravit variorum notis perpetuis, quibus observationes

ſuas intermiſcuit. Opus, ut mihi videtur, laborioſum & utile; de quo tamen certum judicium ferre non poſſum, cùm in meas manus primum tantummodò volumen venerit; quo vita Phaedri, prioresque fabularum Libri duo continentur.

Laudavi jam & ſaepius in meis notis laudabo induſtriam Gabrielis Brotier in editione elegantiſſimâ, quam in 12 Pariſiis anno 1783 publicavit, doctè ac ſolerter collocatam. Parallelas praecellentiſſimi Fontanae fabellas, aliaque variorum aetatum non inconvenientia monumenta adjecit, quae faſtidioſi etiam Lectioris curioſitatem excitare poſſint. Utendum habuit ab illuſtriſſimo Le Peletier de Roſanbo, Senatûs Pariſienſis Praeſide, Pithoeanum Codicem, ſimulque varias lectiones excerptas é Codice Remenſi, antequàm incendio ille periiſſet: atque prudens & omni pravâ emendandi libidine ſolutus verba Phaedri, qualia ibi exhibentur, retinere ſtuduit, quantùm tamen ſana ratio boniquе Critici officium permittunt.

Anno denique 1784 Biponti prodiit in 8vo Phaedrus, cum P. Syri ſententiis, Avianique & Anonymi veteris fabulis. Nullae omnino his omnibus notationes vel explanationes ſubjiciuntur. Docet nos tantùm ſive Typographus, ſive editionis diſpoſitor, rogatum eſſe G. C. Crollium, ut quasdam Phaedri fabulas notis illuſtrare vellet; ſed hoc ipſi rebus

aliis occupato non licuisse: monemur tamen, loca quaedam, ipso emendante, aliter exhiberi, ac in editionibus aliis omnibus leguntur. Lib. I, F. 21, v. 9, pro: *frontem exterit, vel extudit;* repositum est: *frontem excutit.* Quod mihi satis placet, nisi quòd paulo significantius videtur verbum *excutit;* hîc enim idem esset, ac *eruit*, vel, *avellit.* L. II, F. 7, v. 8. *Mulum lancinant:* Hanc lectionem olim excogitaveram; non tamen ausus sum admittere, quia si ductus literarum consideretur, non magis accedit ad *trucidant*, quod habent MSS. Codices, quàm *sauciant*, quod pleraeque editiones recepe-runt. Inter alia, quae quoddam literatorum genus juvare possint, indicem editionum Phaedri plenissimum libenter commemorabo: monebo tamen, non debuisse his editionibus annumerari Apologos Phaedrios, Iac. Regnerii, anno 1643, non in 8vo, sed in 12 Divione editos, in quibus videlicet nihil omnino invenitur, quod ad fabulas Phaedri pertineat: at simul errorem hunc facillimè excusabo, quippe qui communis est, & jam ab annis circiter quadraginta in omnibus, quos vidi, editionum Phaedri indicibus pervulgatus.

Restat ut rationem breviter exponam, quâ meam hanc Phaedri editionem accuraverim. Ante omnia diligentiam & laborem in eo posui, ut cognitionem exemplarium Pithoeani & Remensis haberem cer-

tiſſimam: quod cùm per ſolas editiones Pithoei, Rigaltiive minùs fideles, quàm oportuit, praeſtare non poſſem; ſperoportunè Bibliotheca noſtri olim Collegii Pariſienſis ſuppeditavit miſſam Remis ad Franc. Vavaſſorem epiſtolam, quae lectiones varias complures & fabulas aliquot integras, fideliter exſcriptas, contineret: quam quidem ſcripturae varietatem diligenter contuli cum variis lectionibus, ex eodem Codice Remenſi à Rigaltio Gudioque excerptis; deinde varias lectiones é Pithoeano Codice non ſolùm ab ipſo Pithoeo, ſed etiam a Neveleto, demumque é Chartulâ Petri Danielis à Rigaltio collectas diſcuſſi & invicem commiſſas examinavi.

Fretus his ſubſidiis opus Phaedri univerſum, ſi non ex toto in priſtinam integritatem reſtituero, ſaltem ab audaci interpolantium temeritate permultis in locis vindicare ſatis feliciter me poſſe credidi. Quod ut exſequerer, nunquam fere à lectionibus veterum Codicum, niſi ubi error librariorum manifeſtus deprehenderetur, mihi eſſe recedendum cenſui: atque tunc etiam ut mutationes, quae factae fuiſſent, quivis dijudicare poſſet, ſcripturam veterem, quantumvis abſurdam, plerumque ſubjeci.

Notas breves, easque minimè perpetuas adjicere primùm ſtatueram; quod & fuiſſe praeſtitum in priore Libro facilè animadverti poteſt: at poſteà, cùm refugeret animus tam multa a me olim labore

magno praeparata negligere, tenebrisque devovere sempiternis, observationes paulo uberiores, multoque frequentiores excerpsi, & ab interitu ad lucem vitamque vindicare studui: eas autem ita construere sum conatus ac disponere, ut aliae Criticis, aliae literatoribus, nonnullae etiam tironibus placere possint: ibi enim de variis MSS. Codicum lectionibus & eruditorum conjecturis disseritur; ibi latinitas Phaedri non modo defenditur, si quando in suspicionem vocata sit, sed passim etiam exemplis Auctorum adductis confirmatur; ibi locutiones ejusdem paulo difficiliores explanantur, quarum nonnullas vel imperiti malè erant interpretati, vel doctiores reliquerant prorsùs intactas; ibi denique mores ac ritus Antiquorum varii exponuntur, doctrinaeque etiam reconditioris interdum arcana revelantur.

Nunc verò, cùm hominis Christiani dignitas, quâ gloriamur, postulare videretur, ut abscinderemus ab editione nostrâ quidquid obscenum foret, non aegre obtemperavimus; & sine tergiversatione, quid in hanc rem patratum à nobis fuerit, declarabimus. Libri primi Fabulâ XXIX, versus septimum & octavum ejecimus, aliosque duos in eorum locum substituimus, sed Italicis, quae vocantur, literis excudi voluimus, ut illos esse subdititios Critici statim intelligerent: tertiam deinde

tertii

& undecimam tertii Libri fabulam, librique quarti decimam quartam, ac duos istos versus, qui ex decimâ tertiâ supersunt, planè omisimus. Aliam praetereà longiorem de Canum Legatis ad Iovem, quae Libri quarti decima septima est, repudiare primùm decreveram, quòd foetida sit & valde inficeta; at cùm pudicitiae legibus non adversetur, retinendam illam postmodùm judicavi: aures tamen delicatas obtestor, ut ne id mihi probro vertant, at potiùs mecum jocos istos miseros tolerando contemnere audeant.

Io. Henr. Ursinus, vir doctus, anno jam 1657, Ratisbonae in 8vo Phaedrum expurgatum cum notis ediderat: quod aegre ferens Io. Schefferus, praefat. ad edit. 2, optimos Auctores pervenisse ad nos hoc pacto laceros atque deformes objecit. Ego equidem fateor illud aliquoties ita contigisse ob religiosam librariorum verecundiam: at qui sunt, qui turpia monumenta vel penitùs intercidisse dolent, vel mutilata fuisse conqueruntur? Literatores nempe honestati fere nihil consulentes, & quidquid effudit Auctorum veterum effrenata scribendi libertas, aut recognoscere discupientes, aut inscitè & eo tantùm nomine, quia vetus est, admirantes. Suâ tamen illâ miserâ sollicitudine macerare se desinant. Olim quidem ad providendum, ne monumenta hujuscemodi aliquid detrimenti caperent, excitare non inhonestè poterat Librorum manu exaratorum paucitas:

nunc verò illud idem extimescere stultum est, cùm editiones Auctorum maximè impudicorum innumerabiles per latus nobis perque caput undique saliant ac pervolitent. Viros Georg. Walchius, differt. ad Phaedr. pag. 91, & sanctiores & prudentiores vocat, qui versus Phaedri minùs castè conscriptos, atque aetati teneriori damnosos resecarunt: at ipse cavit, ne vir sanctior prudentiorque haberetur; satisque se defendere sibi visus est, si nolle se denique editionem suam mutilare declararet. Nos verò, ingenuè fatemur, nostram hanc mutilavimus: neque mitiora verba ad elevandum facinus putamus esse nobis usurpanda: monebimus tantùm, tres fabellas, quas expunximus, esse artificio & elegantiâ tam jejunè instructas, ut ipsis res Literaria carere sine damno posse videatur. At forsan ipse quoque Phaedrus carere facilè poterat versibus, quos ad fabulam Libri quarti decimam tertiam imperfectam, de Leone regnante, ausus sum adjungere. At judicium de ipsis ferendum reliqui peritis lectoribus: atque hos certè si dignos Phaedro credidissem, aliquot notationibus illustrare non dubitassem: destitutos autem & formis impressos diversis exposui, ut non esse genuinos extemplò notesceret, & qui recentia negligunt, solaque vetera legere amant, istos possent commodiùs praetermittere. Spero tamen plerisque Criticis visum iri satis plausibiles

duos versus, quibus Libri quinti fabulam primam de Menandro & Demetrio mancam, suâque morali sententià carentem, auxi atque complevi.



ADDENDA AD NOTAS.

Lib. I, Titul. *Aesopiarum*] Quae hîc fabulae Aesopiae vocantur, easdem ipse Phaedrus L. V, Prol. v. 11, Aesopeas vocat: sed enuntiari illae utrolibet modo possunt. Seneca, *consolat. ad Polybium*, c. 27, Aesopeos Logos, Ausonius autem, *Epist.* 16, v. 78, memorat

Aesopiam trimetriam,
Quam vertit exili stylo,
Pedestre concinnans opus,
Fandi Titianus artifex.

Pariter apud Ciceronem, *Academ.* Lib. II, cap. 48, *Carnadea sententia*, & *de Orat.* Lib. III, cap. 19, Carneadia vis laudantur. Fabulae verò, ut Priscianus docet in *praeexercitamentis Rhetoricae*, sub initium, *nominantur ab Inventoribus aliae Aesopiae, aliae Cypriae, aliae Libycae, aliae Sybariticae: omnes autem communiter Aesopiae.*

Prol. v. 2, *Versibus senariis*] Cicero, *Oratoris* cap. 55: *Comicorum*, inquit, *senarii sic saepe sunt*

abjecti, ut nonnunqueam vix in his numerus & verſus intelligi poſſit. Verumtamen idem ille, *Tuſcul.* Lib. I, c. 44, hos incogniti nobis Auctoris verſus referens:

Heu! reliquias ſemiaſſi Regis, denudatis oſſibus,
Per terram ſanie delibutas foedè divexarier!

Non intelligo, inquit, *quid metuat*, *cùm tam bonos ſeptenarios* (vel ſcripſit Cicero, vel ſcribere debuit *octonarios*) *fundat ad tibiam.* His porrò tam bonis octonariis non puto permultos Terentii ſive octonarios, ſive ſenarios, ſeu trochaicos, Phaedrique prope univerſos eſſe minùs elegantes. Accuratam illi quidem tragicorum verſuum gravitatem non habent; ſed neque habere debent. Denique ad Phaedrum quoque pertinet, quod verè de poetis comicis Terentianus Maurus, pag. 84 editionis Santandreanae pronuntiat hoc verſu optimo:

In metra peccant arte, non inſcitiâ.

At noſtri Auctoris verſus cur potiùs Senarii, quàm Hexametri verſus, qui pedibus quoque ſenis conſtant, appellantur? Hexametri apud Graecos fuere certè vetuſtiores, quàm jambici illi, quos Romani ſenarios vocarunt: nam ſive Archilochus, ſeu Simonides Amorginus horum dicatur inventor, poſt Homerum & Heſiodum uterque floruit. At Romae cùm adhùc eſſent parum noti Hexametri, maximam in Theatro per Livium Andronicum habuere cele-

britatem jambici; eosque tunc incepisse senarios vocitari facilè crediderim.

L. I, f. 3, v. 9, *Mulcatus*] Terentius, *Eunuc.* Act. 4, Sc. 7, v. 4:

Male mulcabo ipsam.

Et *Adelph.* Act. 1, Sc. 2, v. 8:

Fores effregit, atque in aedes irruit
Alienas; ipsum dominum atque omnem familiam
Mulcavit usque ad mortem.

T. Livius, L. III, c. 11: *Qui obvius fuerat, mulcatus nudatusque abibat.* Et L. XXIX, c. 9: *In Legatum impetum, Lictoribus priùs indignum in modum mulcatis, faciunt.*

V. 16. *Tua sentiret calamitas*] Sensus est: nec tu calamitosus expertus esses & sentires hanc ignominiam. Ista porrò loquendi formula Phaedro nostro valde familiaris est, ut videre licet fabulà 5, fab. 8, fab. 13, fab. 28. Et Lib. II, fab. 1, fab. 4, fab. 5, fab. 7. Et Lib. III, Prol. & fab. 10, quater. Et Lib. IV, fab. 4, fab. 5, fab. 6, fab. 10, bis, fab. 11, fab. 12, fab. 19, fab. 24, & Epilog. Et Lib. V, Prol. & fab. 5, fab. 7. Nunc verò ut clariùs ostendam, id quod fortasse jam satis demonstravi, fabulas Phaedri non esse fetum alicujus boni literatoris, qui paulo post renatas in Italià literas vixerit; quaeram, an verisimile sit, ejus-

modi locutiones potuisse ab illo tam frequenter usurpari. Certè, ut norunt omnes Historiae scientiâ imbuti literariae, boni quique temporum illorum scriptores sibi solos optimos veterum imitandos eligebant, & Ciceronem praecipue assumere solebant, quem timidè ac religiosè sequerentur, unde Ciceroniani dicti sunt. Atqui Cicero, aliique Latinitatis principes rarò admodùm loquendi formulas, quas modò indicavimus, adhibuerunt: quisquis autem horum imitatores Italos, praesertim Nicol. Perottum, qui maximè omnium fraudis, quà de agitur, insimulatus est, evolverit, eos fere semper ab istis locutionibus abstinuisse fatebitur. At Phaedrus cùm florente adhuc & vigente Latinitate scriberet, non adeò superstitiosus esse debuit, ut aliquid audere non posset: neque tamen aetatis etiam aureae scriptores à memoratis loquendi formulis sic abhorruerunt, ut exempla, quibus possint illae defendi, non reliquerint. Nam Terentius Varro, veteris Romanae simplicitatis retinentissimus Auctor, non minùs audacter in suo Prometheo, quàm in ullâ fabellâ suâ Phaedrus, his apud Nonium, cap. 2, verbis utitur; quae quidem restitui sic debere existimo:

Illud voluptas quod coepisset sumere
Retineret; at cùm sat haberet, satias manum
De mensâ tolleret.

Ubi voluptas pro voluptario, satias sive satietas pro saturo homine usurpantur. Neque aliter Horatius ad Mecaenatem, *Epod.* carm 1, v. 31:

Satis superque me benignitas tua
Ditavit.

Idem, Lib. I, *Epist.* 12, v. 20:

Empedocles, an Stertinii deliret acumen.

Quin & priscis etiam Latinitatis temporibus adhibita est locutio non absimilis; nam apud Varronem, *de linguâ latinâ* Lib. III, sic Ennius:

Olli respondet suavis sonus Egeriaï:

Ibi enim sonus, sive vox Egeriae pro ipsâ Egeriâ sumitur.

Lib. I, fab. 5, v. 4. *Socii fuere*] Sensus est: Vacca & Capella & Ovis & Leo cùm convenissent in saltibus, socii fuere, vel societatem inierunt. Quosdam perturbavit haec oratio: *Vacca & Capella & Ovis socii fuere:* Socius tamen his additus Leo scrupulum evellere debuit. Sed cur etiam de Vaccâ, Capellâ & Ove dicere, socios fuisse, non liceret? Nonne eodem prorsus modo Terentius, *Heautont.* Act. 2, Sc. 3, v. 58, de ancillis puellae cujusdam loquens, eas vocat *internuntios?*

V. 5. *Cervum vasti corporis*] Cicero, *nat. Deor.* Lib. I, cap. 35: *Elephanto belluarum nulla prudentior: at figurâ quae vastior?* Et Lib. II, cap. 44,

de Centauro, figno caelefti, pecudem, quam dextrâ tenet, maftante:

Hic dextram pergens, quadrupes quâ vafta tenetur,
Tendit, & illuftrem truculentus caedit ad aram.

Legimus cum illuftriffimo Bouhierio, *pergens*, non *porgens*, quod editiones fere omnes habent: veramque illam effe lectionem, manu Thomae Majoli notatum eft ad editionem operum Ciceronis Mediolanenfem, anni 1498, longe rariffimam.

V. 10. *Malo adficietur*] *Malo adfici*, putat Bentleius reperiri non poffe apud bonos Auctores; reponitque, *Male accipietur*. Eamdem ante Bentleium cenfuram exercuerat Gudius, & jufferat legere, *Malo adfligetur*. Attamen Seneca, *Benefic.* L. VI, c. 37: *Satius erat*, inquit, *duos iniquo malo adfici, quàm omnes publico*.

Lib. I, fab. 7, v. 1. *Perfonam tragicam*] Hiftrionum perfonae, quae vulgò Larvae nuncupantur, totum caput obtegebant. Hinc Plinius, *Hift.* Lib. XXV, cap. 11, de Lonchite loquens, ineffe dicit huic plantae *capitula perfonis comicis fimilia*.

V. 2. *O quanta fpecies*, inquit, *cerebrum non habet!* Eamdem fententiam undecima harum fabularum, quae fermone fcriptae foluto fub Aefopi nomine circumferuntur, unico pariter verfu fic exprimit;

ὢ οἵα κεφαλὴ, καὶ εγκέφαλον οὐκ ἔχει.
Quem versum isto latino reddere promptum fuit:

O quale caput est, & cerebrum non habet!

Lib. I, fab. 12, v. 9. *Excepit ferum*] Virgilius, *Aen.* Lib. VII, v. 489, de Cervo pariter:

Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.

Fab. 14, v. 1. *Inopiâ deperditus*] *Quis*, inquit Bentleius, *cui ullus Latinitatis sensus, nedum Phaedrus, sic loquatur?* Ille igitur, *deperditus*, expungit, ac reponit, *proterritus*. Verum tamen Catullus, carm. 63, v. 119, dixit, matrem commemorans afflictissimam:

Quae misera gnati misero deperdita leto.

V. 4. *Verbosis strophis*] Id est, orationibus dolosis, quales ludificando popello adhibere solent agyrtae circumforanei. Seneca, *Epist.* 26: *Remotis strophis & fucis de me judicaturus sum.*

Lib. I, fab. 21, v. 3. *Defectus annis*] Id est, defectus, sive deficiens prae annis ingravantibus. Scioppius ad hunc locum: *Nam cur*, inquit, *defectum annis dicit senem? An quia vita ipsum deficit? Gerrae! Tu bono meo periculo scribe, defessus.* Attamen cur Cicero, *de Senect.* cap. 14, Sophoclem senem dicit *aetate affectum*? An quòd aetas ipsum affecisset? Nequaquam: sed quòd propter aetatem affectus, sive defectus foret, ut interpretantur Manutius, Graevius & alii. Pariter Columella, L. I,

de re rust. Praefat. Sect. 12, de locuplete, qui fundum aliquem mercatus fuerit, loquens: *Pedisequorum, lecticariorumque defectissimum annis in agrum relegat.* Pariter quoque Quintilianus, *Declam.* 13, cap. 2, *defectam labore senectutem* commemorat.

Lib. I, fab. 26, v. 5. *Sorbitionem*] Sorbitio cibus est, qui sorberi, ut jusculum, potest. Celsus, *medic.* Lib. VIII, c. 9: *Panis ante septimum diem non assumendus, sed unâ sorbitione vivendum.* Id est, cibi tantùm sorbiles adhibendi sunt. Rectè autem syllaba secunda in sorbitionis voce correpta est. Sic enim Persius, de Socrate loquens: *Sat* 4, v. 1,

Rem populi tractas: Barbatum haec crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae.

V. 7. *Intrito cibo*] Cibus iste videlicet interendus, sive conterendus & comminuendus fuit, ut in lagenam, cujus angustum esse collum debuit, facilè immitteretur. Varro, *de re rust.* Lib. II, c. 9, dandum esse dicit canibus *hordeaceum panem lacte intritum.*

V. 11. *Peregrinam volucrem*] Aves peregrinae vocantur, quae ex longinquo statis temporibus adveniunt; quales sunt Ciconia, Gruis, Cothurnix, Hirundo: peregrinae etiam dicuntur, quae ex dissitis regionibus asportantur, at significatione minùs propriâ. Neque enim, ut illae, peregrinantur, sive peregre abeunt ac revertuntur.

Lib. I, fab. 26, v. 12. *Sua quisque exempla*] Senſus eſt: ſi faciat alter, quod tu ipſe feceris, illud ferre aequo animo debes. Seneca, *Epiſt.* 81: *Mala exempla recidunt in auctores: nec ulla miſeratio contingit his, qui patiuntur injurias, quas poſſe fieri faciendo docuerunt.*

Fab. 27, v. 1. *Eſſe conveniens poteſt*] *Quis veterum*, inquit Franciſcus Hare ad hunc locum, *ſic locutus eſt?* Ovidius tamen, *Triſt.* Lib. I, Eleg. 1, v. 6:

Non eſt conveniens luctibus iſte color.

V. 4. *Manes Deos*] Numina inferorum hîc intelligenda ſunt, quibus theſauri ſaepe, unà cum reliquiis hominum defunctorum conditi, conſecrabantur: hinc Kirchmannus, *de funeribus Romanorum*, Lib. III, c. 24, refert in veteri quodam monumento ſcriptum hunc verſum:

Plutoni ſacrum munus: ne attingite, fures.

V. 6. *Sanctae Religioni*] Cicero, *de Legib.* L. II, c. 22: *Tanta Religio eſt ſepulchrorum!* & c. 26; *Poena eſt, ſi quis buſtum violarit.*

Fab. 28, v. 1. *Quamvis ſublimes*] Senſus eſt: Quantumvis magni & ſublimes quidam homines fuerint, tenues & humiles non debent ab illis contemni, ſed potiùs metui. Sic Plautus, *Menaech.* Act. 2, Sc. 2, v. 43:

Quamvis ridiculus eſt, ubi uxor non adeſt.

Sic & Varro, *de re rust.* Lib. II, c. 5, init. Quintum Lucienum *hominem quamvis humanum & jocosum* vocat. Quibus in locis accipiendum est *quamvis* pro *quantumvis*, vel *quantumlibet.*

V. 12. *Supplex tradidit*] Haec est optima MSS. Codicum & editionum fere omnium Lectio. Voces, *supplex*, atque, *tradidit*, tam bene cohaerent inter se, quàm si scriptum fuisset, *supplex detulit.*

Lib. I, fab. 29, v 8. *Rostrum aprugnum*] Plinius, *Hist.* L. VIII, c. 18, Sect. 74: *fel aprugnum.* & Sect. 77: *fimum aprugnum, suillumve cum oleo illini prodest.* Iste porrò versus, & qui praecedit, Phaedri non sunt, ut jam in disputatione nostrâ tertiâ admonuimus.

Fab. 31, v. 11. *Vesci singulas*] Haec est lectio MSS. Codicum & editionum fere omnium: Pithoeus ex ingenio suo edidit: *vesci singulis;* quod minimè fuit necessarium. Plinius, *Hist.* Lib. X, c. 38, de avibus loquens: *Nonnullae vescuntur ea, quae rapuere pedibus.* Et sic aliis aliquot in locis idem Auctor loquitur. Atque etiam Tibullus, L. II, *Eleg.* 5, v. 63, sub personâ Sibyllae Cumanae:

Vera cano; sic usque sacras innoxia lauros
Vescar, & aeternùm sit mihi virginitas.

V. 13. *De reliquis tunc una*] Sic primus, contra fidem & sui & Pithoeani Codicis, Rigaltius edidit; quem fortè non satis prudenter cum aliis

fere omnibus Criticis ſequuti ſumus. MSS. Codices habent: *Tunc de reliquis una;* ita ut vox, *reliquis*, in quatuor ſyllabas diſſolvenda foret; quemadmodùm Lib. III, fab. 4, v. 2, *reliquas;* & L. IV, fab. 24, v. 12, *reliquum;* & apud Lucretium, L. I, v. 560, *reliquo*, rurſumque Lib. II, v. 953, *reliqui;* ac denuo, Lib. IV, v. 973, *reliquas*.

Lib. II, Prol. v. 1. *Aeſopi genus*] Senſus eſt: in exemplis, ſive Apologis explicandis verſatur omne Aeſopi ſcribendi genus, & his quaſi finibus continetur. Iſtum autem loquendi modum plerisque Criticis approbari vix poſſe, valde miror; quaſi, *genus*, hoc in loco pro genere ſcribendi non poſſet uſurpari: at illos certè refellit ipſe Cicero, L. II, *de Orat.* c. 21, dum commemorat *genus Craſſi magnificum atque praeclarum:* quemadmodùm enim illud eſſe genus dicendi facilè intelligitur, quia de eo genere in toto Ciceronis opere tractatur; ita Phaedrus cùm in Libri primi Prologo & fabulis 3, 6, 10, ſequentibus, quodnam ſit genus, in quo ſe exerceret Aeſopus, ſatis oſtenderit, nunc ſi leviter illud tangat atque indicet, ſufficere credidit. Sed & Lib. V, Prol. v. 13, de hoc eodem genere loquens, verba etiam paulo minùs ſignificantia adhibet, dum ſe uſum eſſe dicit *vetuſto genere:* nam Aeſopi eſt vetuſtum illud, & ſcribendi quidem, genus:

quod genus male ab adverſariis noſtris refertur ad fabulas, quarum ibidem facta eſt mentio; ſiquidem de nullâ diſtinctione fabularum, quae in varia genera diviſae fuerint, agit Phaedrus: at univerſè de vetuſto illo genere ſcribendi, quod Aeſopus, ut blandè corrigantur errores mortalium, inveniſſe creditur. Neque objiciendum nobis eſt, *fabularum genus*, L. III, Prol. v. 33, expreſſè memorari: ibi enim genus fabularum nihil aliud ſignificat, quàm fabulas; quemadmodum genus hominum, genus ferarum pro hominibus, feriſque uſurpari ſolent. Prætereà ſi Phaedrus voluiſſet indicare, uſum ſe eſſe *vetuſto genere* fabularum, ſive fabulis vetuſtis, non ſubjeciſſet: *ſed rebus novis:* quoniam fabulae & res ipſas & rationem eas exponendi complectuntur. Dum ergo de ſe ipſo ſic loquitur:

Uſus vetuſto genere, ſed rebus novis:

ex *vetuſto genere* Aeſopi genus, ex *rebus novis* fabulas novâ à ſe expolitione figuratas evidenter vult intelligi.

V. 8. *Senis*] Aeſopum hîc agnoſce, non annis quidem gravem, ſed Apologis ſuis & ipſâ etiam antiquitate nobilem. Sic Horatius, Lib. II, *Sat.* I, v. 34, ſenem vocat Lucilium poetam, qui tamen annos tantùm quadraginta ſex natus de vitâ deceſſit.

Fab. I, v 4. *Praedator*] Putavit Burmannus voluiſſe Phaedrum, ut Venator hîc intelligeretur:

at hoc si voluisset, procul dubio venatorem dixisset, cùm lex metrica vocem hanc perinde atque alteram fineret adhiberi. Praedator autem is est propriè, qui rapto vivit.

V. 11 & 12] Sensus est: divisit, sive discerpsit Iuvencum; partem viatori posuit; & secessit, ut ne ille refugeret accedere.

V. 14. *Aviditas, pudor*] Phaedrus hîc more suo, *aviditatem*, pro cupidis & avaris; *pudorem*, pro modestis & temperantibus adhibet. Hujus porrò sententiae veritatem confirmat id quod refert de Abdolonymo Q. Curtius, Lib. IV, c. 1: *Causa ei paupertatis, sicuti plerisque, probitas erat.*

Fab. 4, v. 4. *Tum fortuitum*] Syllabam hujus vocis penultimam produxit, quemadmodùm producitur apud Horatium, L II, *Od.* 15, v. 17:

Nec fortuitum spernere cespitem.

At eamdem corripuere Statius, *Thebaid.* Lib. VII, v. 449: & Manilius, L. I, v. 182.

Fab. 5, v. 11. *Luculli manu*] Is est Lucullus, bellicâ quidem laude insignis, at substructionibus aedificiorum, plusquàm Romanum civem etiam locupletissimum decuit, famosus: de quo sic loquitur Columella, Lib. I, *de re rust.* c. 4: *Majores, quàm postulavit agri modus, villas exstruxit.* Plinius verò, *Hist.* Lib. IX, c. 54: *Lucullus exciso etiam monte juxta Neapolim majore impendio, quàm vil-*

lam exaedificaverat, euripum & maria admisit: qua de causa Magnus Pompeius Xerxem togatum eum appellabat. Quòd autem villam istam Misenensem positam fuisse dicit Phaedrus Luculli manu, vult, opinor, intelligi vel novas aedes loco veterum, quas in hoc ipso monte C. Marius fundaverat, exstructas, vel has veteres ita reparatas esse ac immutatas, ut novae possent existimari.

V. 18. *Alium in Xistum*] Xisti, qui & Xista dicebantur, non modò tectae porticus erant, sed loci etiam porticibus attigui & arboribus plerumque consiti, in quibus luctando, aut simile quidpiam agendo exercerentur corpora; vel erant, ut in hâc villâ, plantis & floribus vestitae viae, ac deambulationibus accommodatae. Vide Philandrum ad Vitruv. Lib. V, cap. 11, & Salmasium ad Tertullian. *de Pallio*, pag. 230, 231, editionis Parisiensis.

V. 25. *Alapae mecum veneunt*] Sensus est: manumissio apud me majoris, sive majore pretio venditur. Burmannus bonum exemplum desiderat, quo locutionis hujus, *mecum veneunt*, insolentia defendatur. Eodem sensu, *mecum*, usurpatur apud Virgilium, *Aen.* L. IV, v. 115:

Mecum erit iste labor.

Ipsi quoque, *majoris veneunt*, aliquid negotii facessit. Legitur tamen apud Ciceronem, *Offic.* L. III, c. 12, circa medium: *Advexi, exposui, vendo meum*

non

non pluris, quàm ceteri, fortasse etiam minoris. Quod spectat ad alapas, bis aut ter infligebantur servo, qui erat in libertatem vindicandus; simulque gyrare cogebat illum assertor. Hinc Iuvenalis, *Sat.* 5, v. 171:

Pulsandum, vertice raso,
Praebebis quandoque caput.

Ad quem locum vetus Interpres: *Capite raso, alapas accipies.* Et Persius, *Sat.* 5, v. 75:

una Quiritem
Vertigo facit.

Quae Verba Cornutus, vel quicumque sub hoc nomine latet, sic explicat: *Quos manumittebant, eos alapâ percussos circum agebant, & liberos confirmabant.*

Fab. 6, v. 4. *Se bubili condidit*] Codex Pithoeanus habet, *bovili*, Remensis autem, *bobili*, quod à, *bubili*, non multùm abludit. Varro, *de Ling. Lat.* Lib. VIII, pag. 110 editionis Scriverianae: *Neque*, inquit, *ut ab ove ovilia, sic à bove bovilia*; clariúsque & apertiùs jam dixerat Lib. VII, p. 94: *Ut ab ove & à sue ovile & suile; sic à bove dicitur bubile, non bovile.*

V. 9. *Rursus erumpam*] Id est, quemadmodùm hùc irrupi, sic indidem erumpam. *Rursus*, nequaquam hîc, *iterum*, at, *vice versâ*, significat. Eodem modo Caesar, *de bello Gall.* Lib. IV, cap. 4,

dixit: *Reverti se in suas sedes regionesque simulaverunt; & tridui viam progressi rursus reverterunt.*

Fab. 8, v. 15. *Quietis*] Id est, quòd quievissent, nec ipsum prodidissent.

Lib. III, Prol. v. 4. *Ingenium tuum*] Id est, opus tuum. Sic Ovidius, *de remed.* v. 365:

Ingenium magnum Livor detrectat Homeri.

Ibi enim ingenium magnum Homeri, quod carpere audet Livor, opus hujus immortale, sive Ilias intelligi debet.

V. 6. *Non causa est id tangi*] Cicero, *orat pro Caecinâ*, cap. 5: *Nulla est ratio amittere ejusmodi occasionem.*

V. 29. *Aesopi stylo*] Stilus hic accipiendus est, non pro orationis formâ aut structurâ verborum, at pro genere scribendi. Ita Cicero, *de clar. Orator.* cap. 45, memorat *Orationes Attico stilo scriptas* à C. Titio, quamvis latinè ille, non graece scripsisset.

V. 41. *Alius Sejano*] Id est, alius quàm Sejanus. Sic Horatius, Lib. II, *Epist.* 1, v. 239, de Alexandro Magno loquens:

Edicto vetuit, ne quis se, praeter Apellem,
Pingeret, aut alius Lysippo cuderet aera.

Iste porrò Aelius Sejanus, Eques Romanus, cùm eò usque per scelera sua pervenisset, ut summam

poteſtatem eripere Tiberio vellet, & poſſet, uno eodemque die Octobris decimo ſeptimo anni I. C. trigeſimi primi, accuſatus, damnatus & interfectus eſt.

V. 59. *Hebri*] Sic primus pro, *Herebi*, quod MSS. Codices & Veteres editiones habent, repoſuit anno 1617 Rigaltius; cujus emendationem, Criticorum omnium exemplo permotus, admittendam eſſe credidi. Sed vetus lectio rejici fortè non debuit: nam praeterquàm quòd Herebi, ſive Erebi impetus, id eſt, omnem illam ſuppliciorum vim, quâ ſontes Erebus, ſive Orcus, excruciat, dulci morâ tenuiſſe, ſive blandis Lyrae ſonis cohibuiſſe Orpheus rectè & latinè diceretur; animadvertere etiam licet, Hebro non ſatis verè attribui impetus, ſive concitatos curſus, cùm eſſe hunc fluvium minimè violentum doceat Servius ad *Virgil. Aen.* L. I, v. 321:

Volucremque fugâ praevertitur Hebrum:
Multum quidem laudis flumini, inquit ille, *epitheto addidit; ſed falſum eſt: nam eſt quietiſſimus, etiam cùm per hiemem creſcit.*

V. 61. *Solemnis gloria*] Non ea intelligenda eſt, quae ſtatis temporibus celebrabatur; ſed qualis hominibus in arte ſuâ excellentibus tribui ſolebat. Sive autem *ſolemnis* ſcribatur, ſive *ſolennis*, idem omnino ſignificabitur: at puto ſolitos eſſe Veteres

ſcribere, *ſolemnis*. Quòd ſi monumenta quaedam antiqua, *ſolennis*, ſcriptum vel ſcalptum exhibeant; ſic factum ab illis fuerit, qui voces eo modò ſcribendas eſſe credebant, quo pronuntiabantur. Nimirùm litera *m*, ubi, *n*, ſubſequebatur, eodem ac illa efferebatur ſono, ut videre eſt apud Ciceronem, Lib. IX, *ad Familiar.* Epiſt. 22.

Fab. 1, v. 7. *Hoc quò pertineat*] Ad ſeipſum pertinere hanc fabellam Phaedrus apertè ſignificat; ac fortaſſe vult intelligi, quid ſcripſerit, vel ſcribere potuerit annis olim florentibus, qui hodieque, adventante jam ſenectute, quae, ut ait Seneca, *Epiſt.* 57, *vitae fex eſt*, tales fetus emittat.

Fab. 2, v. 2. *Panthera*] Plinius, *Hiſt.* L. VIII, cap. 17, Sect. 23: *Panthera & Tigris macularum varietate prope ſolae beſtiarum ſpectantur. . . . .* (Pantheras) *nunc Varias, & Pardos, qui mares ſunt, appellant.* Narrat autem initio ejusdem capitis Plinius, traditum à Demetrio phyſico, Pantheram, cujus catuli erant in foveam delapſi, auxilium ab homine petiiſſe, *haud dubiè blandientem, ſeſeque conflictantem moerore, qui etiam in Pantherâ intelligi poſſet: Hominem, poſtquàm is pavore in commiſerationem verſo exemit catulos, eâ cum iis proſequente, uſque extra ſolitudines fuiſſe deductum, laetâ atque geſtiente, ut facilè appareret gratiam referre.*

Fab. 3, v. 1. *Pendere ad Lanium*] Id eſt, apud Lanium. Eodem modo locuti ſunt ſaepe Plautus, Terentius & Cicero. Iſte verò Simius non eſt, ut equidem reor, intelligendus pependiſſe apud Lanium mortuus, ut ceterae pecudes, quae ibi venales hominibus obſonaturis exponebantur; ſimii enim non veneunt propter eſcam. Ex eo tamen, quòd ille dicatur pependiſſe reliquas inter merces, rectè colligitur fuiſſe in ipſarum numero putatus: à quo autem? ab iſto ſcilicet nugatore, qui quaeſivit quidnam ſaperet; non à Lanio, qui jocum inſulſum pari joco repulit. Simium ergo intellige vel conſtrictum loris, ut aliquid malefacti pendens lueret, vel é catenâ ſuâ pendulum, ut ſe oblectaret.

V. 4. Phaedrus indicat ibi contineri jocum, qui videtur in his vocibus, *caput*, *ſapor*, conſiſtere, ita ut ſenſum unaquaeque vox duplicem habeat. Id ergo quod dicit Lanius, talem eſſe hujus ſimii ſaporem, quale eſt caput, fatuum videlicet, debet intelligi de homine, cujus quale eſt caput, talis credendus ſit ſapor, ſive ſapientia. Iam verò quo turpiore capitis formâ praeditum hunc eſſe contigerit, qui de Simio pendente interrogat, eo magis ridiculè reſponſum fuerit. Sed ſapor an ſapientiam ſignificare poſſit, aliquis fortè ambiget: dubium omne tollet Cicero; ſic enim *Orat. poſt redit.*

c. 6 loquitur de Gabinio: *ſine ſenſu, ſine ſapore, elinguem, tardum diceres.*

V. 5. *Aeſtimo*] Bentleius edidit:

Ridiculè hoc dictum mage quàm verè exiſtimo.

Et in notis: *Aeſtimo*, inquit, *in hoc ſenſu inferiorum aetatum eſt.* Attamen non modò Martialis, Lib. XI, *Epigr.* 1:

Ecquid te ſatis aeſtimas beatum?

Sed etiam Salluſtius, *Catilin.* c. 31, edit. Lipſienſ. an. 1724: *Ne aeſtimarent ſibi perditâ Republicâ opus eſſe.* Et ſic alibi, nec ſemel.

Fab. 5, v. 3, *Dolone*] Suum aculeum ſuperba vocat nomine ſignificantiori. Virgilius, *Aen.* Lib. VII, v. 664.

Pila manu ſaevosque gerunt in bella dolones.

Et ad hunc locum Servius: *Dolo eſt aut flagellum, intra cujus virgam latet pugio; aut ſecundùm Varronem ingens contus cum ferro breviſſimo.* S. Iſidorus, *originum*, L. XVIII, c. 9: *Dolones ſunt vaginae ligneae, inter quas latet pugio, ſub baculi ſpecie: dolones autem à dolo dicti ſunt, quòd fallant & decipiant ferro, cùm ſpeciem praeferant ligni.*

Fab. 5, v. 7. *Frenis ſpumantibus*] Virgilius, *Aen.* L. IV, v. 135:

Stat ſonipes ac frena ferox ſpumantia mandit.

Ad quem locum Servius: *Spumantia, ſpumas moventia; ut naufragum mare, quod naufragos facit.*

Fab. 6, v. 2. *Perpasto*] Id est, bene pasto, vel bene pasci solito.

V. 5. *Fecisti tantum corporis*] Quintilianus, *Inst. orat.* L. X, c. 3: *Vires faciamus ante omnia, quae sufficiant labori certaminum.* Atque Cicero, L. VII, *ad Famil.* Epist. 26: *Ego hic cogito commorari, quoad me reficiam: nam & vires & corpus amisi.* Itaque, ut pinguescere & macrescere; si facere vires vel corpus, & vires vel corpus amittere, opponuntur.

V. 18. *Alligant me interdiu*] Cato, *de re rust.* c. 124: *Canes interdiu clausos esse oportet, ut noctu acriores & vigilantiores sint.*

V. 15 & 16. Non, *tu*, sed *te*, legi vult in his duobus versibus Bentleius; at perperam: nam eodem modò, quo Phaedrus, atque eodem etiam sensu dixit Seneca, *Quaest. natur.* L. I, c. 17: *Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret: multa ex hoc consequuta; primò sui notitia, deinde & ad quaedam consilium: formosus ut vitaret infamiam; deformis ut sciret redimendum esse virtutibus quidquid corpori deesset.* Damnat pariter verbum, *vincas*, idem Bentleius, &, *penses*, in ejus locum substituit. At rursus contra ipsum Seneca, *Epist.* 58: *Ratione vitium corporis vincat.*

V. 15. *Nequitiae malis*] Iuvenalis, *Sat.* 14, v. 215:

Nativae mala nequitiae.

Fab. 8, v. 4. *Et cedo invidiae*] Et ab invidiæ me opprimi aequo animo patiar, dummodò absolvar mortuus, quemadmodum contigit Socrati. Is videlicet, Anyto & Melito accusantibus, cicutam ebibere jussus occubuit; at posteà absolutus est, illi verò damnati.

V. 6. *Ponis domum*] Virgilius, *Georg.* L. III, v. 13:

Et viridi in campo templum de marmore ponam.

Fab. 9, v. 8. *Memoriâ meâ*] Hîc se Phaedrus Octavii Augusti tempore vixisse ostendit. Litem enim, cujus historiam narrat, dicit, v. 39, fuisse ad Divum Augustum delatam: hunc porrò non potuit, nisi post ejus mortem, Divum appellare; quoniam, ut ait Tacitus, *Annal.* Lib. XV, cap. ultimo: *Deûm honor Principi non ante habetur, quàm agere inter homines desierit.* Quod ergo Phaedrus suâ memoriâ factum esse scribit, id nequaquam sub Tiberio, sed sub ejus praedecessore Octavio contigit.

Fab. 12, v. 5. *Non inconveniens*] Seneca, *de vitâ beatâ*, cap. 12: *Desinant ergo inconvenientia jungere, & virtuti voluptatem implicare.*

V. 14. *Quis non possit*] Sensus est: manifestè jam ostenditur, quis, Fucus, an Apis, favos fecerit, aut quis facere non possit. Cicero, in *Ant. orat.* 2, c. 29, eodem fere modo loquitur: *An ille sine me vicit? at ne potuit quidem.*

Fab. 13, v. 10. *Citò rumpes arcum*] Reponit

Bentleius, *corrumpes arcum;* quod nisi fiat, sententiam fore contendit perabsurdam: animadvertit scilicet, arcum rumpi non posse, si semper tensus ille fuerit. Sed quid est cavillatio, si haec non est?

Fab. 15, v. 18. *Leto dedit*] *Haec locutio*, inquit Walchius ad hunc locum, *dura videtur*, & *quae à purâ veterum scribendi ratione abhorret.* Itane vero? Virgilius tamen, *Aen.* L. XI, v. 172:

Quos dat tua dextera leto.

Et Lib. XII, v. 328:

Multa virûm volitans dat fortia corpora leto.

Fab. 17, v. 2. *Cantus luscinii*] Seneca, *Epist.* 76: *Homo habet vocem: sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilae, graviorem tauri, dulciorem mobilioremque luscinii!*

V. 15. *Recidat*] Produci prima syllaba potest. Lucretius, Lib. I, v. 857:

At neque recidere ad nihilum res posse.

Et Lib. V, v. 281:

Recidere assiduè.

Similiter Propertius, Lib. IV, *Eleg.* 8, v. 44:

Recidit inque suos mensa supina pedes.

Atque Ovidius, *Metam.* Lib. X, v. 180:

Recidit in solidam longo post tempore terram.

Lib. IV, Poeta, v. 1. *Et sanè*] Et re verâ.

V. 2. *Calamo*] Ibi interpretem Porturegiensem carpit Burmannus his verbis: *Satis, credo ex commentariis doctorum virorum discere poterat gallicus interpres, hic de fistulâ pastoritiâ ex calamo agi, ne verteret: Nous nous jouons ainsi avec la plume: quasi de calamo scriptorio ageretur.* At ille, si revivisceret, tueri se posset auctoritate Servii, qui ad hunc versum 10, *Ecl.* 1, Virgilii,

Ludere quae vellem calamo permisit agresti;

Ludere, inquit, *scribere . . . calamo agresti, rustico stilo.* Calamum tamen Virgilianum puto accipi debere pro pastoritio. Calamus autem Phaedri videtur, quidquid viri docti contradicant, fuisse de illorum genere, quos memorat Martialis, L. IX, *Epigr.* 75:

Frange leves calamos, & scinde, Thalia, libellos.

Fab. 2, v. 4. *Se abjecit*] Cicero, *de Orat.* L. I, cap. 7: *Ut se abjiceret in herbam.* Ovidius, *Heroid.* Epist. 7, v. 1:

Udis abjectus in Herbis.

V. 5. *Compressus*] Cicero, de *Harusp. resp.* cap. 25: *Ista serpens . . . . compressa atque illisa morietur.*

Fab. 5, v. 25. *Apothecam*] Id est, cellam vinariam, si tamen latiore eam sensu acceperis: apotheca enim propriè dicta illa est, in quâ vinum, é doliis defusum in amphoras, reponebatur: atque

hanc à cellâ vinariâ diſtinguit Columella, Lib. I, cap. 6, ſect. 9, & ibid. ſect. 20: *Apothecae*, inquit, *rectè ſuperponentur his locis, unde plerumque fumus exoritur: quoniam vina celeriùs vetuſteſcunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt.* Quod & Plinius, *Hiſt.* Lib. XIV, cap. 14, init. confirmat his verbis: *Apothecas fuiſſe, & defundi ſolita vina anno DCXXXIII Urbis, apparet indubitato Opimiani vini argumento.*

V. 42. *Agros abjiciet*] Id eſt, viliſſimo pretio vendet. Sic Terentius *Adelph.* Act. 4, Sc. 8, v. 26, de quâdam pſaltriâ:

Aliquò abjicienda eſt, ſi non pretio, gratiis.

V. 44. *Luxuriae domum*] Ita, *Luxuriae caſtra, fraudum domus, domicilium ſuperbiae, ſtabulum nequitiae*, & aliae ſimiles formulae in Veterum libris inveniuntur. Luxuriam autem, pro luxu, latinè quoque dicitur. Cicero, *Orat. pro Mur.* cap. 36: *Odit populus Romanus privatam luxuriam: publicam magnificentiam diligit.*

Fab. 6, v. 1. *Victi exercitu*] Dicendum fuiſſe, *ab exercitu*, putat Bentleius; cui Franciſcus Hare, ejus adverſarius, aſſentitur. Ovidius tamen, *Faſt.* Lib. V, v. 561:

Armaque terrarum milite victa ſuo.

Vide Burmannum, qui pluribus aliis hujuſmodi exemplis hunc locum defendit. Milites videlicet

atque exercitus inſtrumenta quaedam ſunt, quibus hoſtes profligantur.

V. 2 *In tabernis*] Hiſtorias de hoc genere ludicras in tabernis pingi ſolitas fuiſſe, dicit Scheffe- rus: &, *Vide*, ait, *quae ſcribo in opuſculo de pictoriâ*, *cap.* 4.

V. 3. *Artos*] *Vulgò*, inquit Rittershuſius, *arctos ſcribimus contra Veterum auctoritatem.* Horatius, L. I, *Epiſt.* 7, v. 33:

Macra cavum repetes artum, quem macra ſubiſti.

Ibid. *Trepidarent*] Id eſt, prae feſtinatione turbarentur. Terentius, *Hecy.* Act. 3, Sc. 1, v. 35:

Trepidari ſentio & curſari.

Salluſtius, *Iugurt.* cap 67: *Romani milites, improviſo metu incerti, ignarique quid potiſſimum facerent, trepidare ad arcem oppidi.*

V. 9. *Avidis dentibus*] Id eſt, ſuorum dentium aviditati. Immolare dentibus, locutio videtur Burmanno ſingularis; &, *certè*, inquit, *ſi devoratos dixiſſet Phaedrus*, *nihil fuiſſet*, *quod moraretur.* At neque forſan ille haeſiſſet, neque conjecturam ſuam inutilem propoſuiſſet, ſi has voces, *avidis dentibus*, in tertio eſſe caſu animadvertiſſet. Atque etiam eas eſſe in caſu ſexto quamvis concedatur, locutio tamen ſingularis non erit. Sic enim Virgilius, *Aen.* Lib. XII, v. 948:

Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat.

Fab. 9, v. 12. *Haerentem vado*] Noſtra ad hunc locum obſervatio, ubi vadum appellatur *fundum* putei, typis jam erat mandata, cùm fortè in Baſilii Fabri *Theſauro eruditionis ſcholaſticae* cenſuram hanc legimus: *Latina lingua nonniſi*, fundus, *agnoſcit*; fundum, *ignorat*. Quod ut probetur, infirma & inepta Servii nota ad Virgil. *Aen*. Lib. II, v. 758, adducitur. At Varro, *de Ling. Lat*. Lib. IV, pag. 24 editionis ultimae: *fundulum*, inquit, *à fundo*. Rectè ergo dicitur in primo caſu, ut *fundulum*, ita & *fundum*. Hic Varronis locus in eodem iſto Theſauro refertur, ſed infideliter; neque ibi legitur, *fundulum*, at, *fundulus*, contra auctoritatem omnium editionum. Vox, *fundo*, in ſexto caſu quinquies invenitur apud Virgilium; & nihil ad ullum ex his locis obſervat Servius: is tamen ad *Aen*. Lib. II, v. 758, unde abeſt iſta vox, de eâ diſſeruiſſe creditur: quod veriſimile cùm non ſit, notam illam, alioquin indoctam & parum dignam Servio, vel ſubdititiam, vel certè interpolatam crediderim. Vox autem, *fundo*, quinquies à Virgilio uſurpata, ex voce, *fundum*, non verò, *fundus*, mihi videtur eſſe deducenda: neque aliter viſum fuerit Nicolao Perotto, qui in *Cornucopiâ*, columnâ 179 editionis Aldinae, ſic loquitur: *Fundum*

propriè est ima pars unius cujusque rei, quae aliquid in se liquoris contineat, vel ad continendum facta sit, ut dolii, navis, alvei, fluminis, lacûs, maris.

Fab. 12, v. 5. *Fortunae filius*] Hesiodus, *Theogon.* v. 969:

Alma Ceres Plutum peperit.

At Pausanias, in *Boeoticis*, p. 294 edit. Wechel. *Proximè*, inquit, *fortunae aedes: fert Dea Plutum infantem . . . Callidum sanè fuit commentum, in manus fortunae tanquam vel matris vel nutricis Plutum ponere.*

Fab. 15, v. 1. *De fortunis suis*] Id est, de suo infortunio. Sic Plautus, *Mil. glor.* Act. 2, Sc. 1, v. 47:

Conqueritur mecum mulier fortunas suas.

Et Cicero, *orat. post redit.* cap. 14: *Bonosque viros lugere malui meas fortunas, quàm suis desperare.*

Fab. 18, v. 22. *Gemitum exprimit*] Eleganter & aptè dictum: nam exprimere, est premendo elicere. Lucretius, Lib. III, v. 496:

Exprimitur porrò gemitus, quia membra dolore
Adficiuntur.

Fab. 21, v. 22. *Hominum notas*] Curius ad Ciceronem, Lib. VII, *ad Famil.* Epist. 29: *Sulpicii successori nos de meliore notâ commenda.* Ad quem locum sic P. Manutius: *Translatio à doliis, quibus diversae inuruntur notae, ut internoscantur vina.*

Fab. 22, v. 28. *Triclinio*] Servius ad Virg. *Aen.* Lib. I, v. 703, contendit, *errare eos, qui triclinium dicunt ipſam baſilicam vel caenationem.* Sed ipſum (ſi tamen ipſius haec verba ſunt) errare patet ex teſtimoniis Quintiliani ac Ciceronis, quae ad ſuperiorem verſum 22, retulimus, ubi Caenatio, ſive conclave, & triclinium, unum idemque eſſe oſtenduntur: atque etiam ex auctoritate Vitruvii, L. VI, c. 5, & Philandri doctiſſimi interpretis, qui non aliter ſentiunt.







PHAEDRI
AVGVSTI LIBERTI
FABVLARVM
AESOPIARVM
LIBER I.

PROLOGVS.

AESOPVS auctor quam materiam reperit, *a*)
Hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libelli dos est: quòd risum movet,
Et quòd prudenti vitam consilio monet.

a) *Reperit*] Primam syllabam, *reperit*, *retudit*, *recidit*, *reducit*, *religio*, *reliquus*, *reliquit*, &c alia ejusmodi vocabula, ancipitem habent: quae si producatur, proxima litera consonans neutiquam geminanda est; quod optimi codices MSS. & Inscriptiones antiquae satis ostendunt.

Calumniari ſi quis autem voluerit,
Quòd arbores loquantur, non tantùm feræ,
Fictis jocari nos meminerit fabulis.

FABVLA I.

Lupus & Agnus.

AD rivum eumdem Lupus & Agnus venerant
Siti compulſi: ſuperior ſtabat Lupus,
Longéque inferior Agnus. Tunc fauce improbâ
Latro incitatus jurgii cauſam intulit.
Cur, inquit, turbulentam feciſti mihi
Aquam bibenti? Laniger contra timens:
Quî poſſum, quaeſo, facere quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos hauſtus liquor.
Repulſus ille veritatis viribus,
Ante hos ſex menſes at maledixiſti mihi.
Reſpondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater herculè tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injuſtâ nece.

HAEC propter illos ſcripta eſt homines fabula,
Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.

FABVLA II.

Ranae regem petentes.

ATHENAE cùm florerent aequis legibus,
Procax libertas civitatem miſcuit,
Frenumque ſolvit priſtinum licentia.
Hinc conſpíratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Piſiſtratus.
Cùm triſtem ſervitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille, ſed quoniam grave
Omne inſuëtis onus, & cœpiſſent queri,
Aeſopus talem tum fabellam retulit.
RANAE vagantes liberis paludibus,
Clamore magno regem petiere ab Iove,
Qui diſſolutos mores vi compeſceret.
Pater Deorum riſit, atque illis dedit
Parvum tigillum, miſſum quod ſubitò vadis,
Motu ſonoque terruit pavidum genus.
Hoc merſum limo cùm jaceret diutius, *b*)

b) *Diutius*] Secunda vocis hujus ſyllaba corripi poteſt. Sic Libro IV, Epilogi v. 14.
Fruar diutius, ſi celerius coepero.

Fortè vna tacitè profert è ſtagno caput,
Et explorato rege, cunctas evocat.
Illae timore poſito certatim adnatant,
Lignumque ſupra turba petulans inſilit;
Quod cùm inquinaſſent omni contumeliâ,
Alium rogantes regem miſêre ad Iovem,
Inutilis quoniam eſſet qui fuerat datus.
Tum miſit illis hydrum, qui dente aſpero
Corripere coepit ſingulas. Fruſtra necem
Fugitant inertes. Vocem praecludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem
Adflictis vt ſuccurrat. Tunc contra Deus:
Quia noluiſtis veſtrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. Vos quoque, ô cives, ait,
Hoc ſuſtinete, majus ne veniat malum.

Neque audiendus eſt Scioppius, qui Phaedrum inde arguit, leges metricas minus calluiſſe: eamdem enim ſyllabam Terentius corripit, *Heautont.* Act. 4. Sc. 7. v. 6.

Nam nihil eſt, illic quòd moremur diutius.

FABVLA III.

Graculus ſuperbus, & Pavo.

NE gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potiùs habitu vitam degere,
Aeſopus nobis hoc exemplum prodidit.
TVMENS inani Graculus c) ſuperbiâ,
Pennas, Pavoni quae deciderant, ſuſtulit,
Seque exornavit; deinde, contemnens ſuos,
Se immiſcuit pavonum formoſo gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque roſtris. Male mulcatus Graculus
Redire moerens coepit ad proprium genus,
A quo repulſus triſtem ſuſtinuit notam.

---

c) *Graculus*] Avis eſt de cornicum genere. Vide *Menagii amoenitates juris*, cap. 38, edit. 2dae. *Gajus noſter, inquit ille, pectore eſt cinereo; aures ejus plumis albis & nigris operiuntur; cervix ex rufo & caeſio mixta eſt; uropygium candicat; dorſum palleſcit: habetque ad latus alarum transverſales notas caeruleas. At Graculum nigro fuiſſe colore certum eſt.* Martialis, lib. I, epigr. 115. (alias 116)

Sed quamdam volo nocte nigriorem,
Formicâ, pice, Graculo, cicadâ.

Tum quidam ex illis, quos priùs deſpexerat:
Contentus noſtris ſi fuiſſes ſedibus,
Et, quod natura dederat, voluiſſes pati,
Nec illam expertus eſſes contumeliam,
Nec hanc repulſam tua ſentiret calamitas.

FABVLA IV.

Canis per fluvium carnem ferens.

AMITTIT meritò proprium, qui alienum adpetit.
CANIS per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in ſpeculo vidit ſimulacrum ſuum:
Aliamque praedam *d*) ab alio ferri putans,
Eripere voluit: verùm decepta aviditas,
Et, quem tenebat ore, dimiſit cibum,
Nec, quem petebat, potuit adeo *dd*) attingere.

---

d) Hic, ut ſaepe alibi, litera *m* non edicitur.
dd) *Potuit adeo*] Idem eſt ac, *potuit etiam*.



FABVLA V.

Vacca, Capella, Ovis & Leo.

NVNQVAM eſt fidelis cum potente ſocietas:
Teſtatur haec fabella propoſitum meum.
VACCA & Capella & patiens Ovis injuriae
Socii fuere cum Leone in ſaltibus.
Hi cùm cepiſſent Cervum vaſti corporis,
Sic eſt locutus, partibus factis, Leo:
Ego primam tollo, nominor quia *e*) Leo;
Secundam, quia ſum fortis, tribuetis mihi:
Tum quia plus valeo, me ſequetur tertia:
Malo adficietur, ſi quis quartam tetigerit.
Sic totam praedam ſola improbitas abſtulit.

---

e) Nihil mutandum eſt: ultimam in voce *quia* ſyllabam produxit Plautus *Bacchid.* Act. 4. Sc. 4. v. 29. in hoc accurato verſu octonario:

Perii . . . Quid ita? . . Quia patri omne cum ramento reddidi.

Pariter Auſonius, Carmine 9, in hoc verſu Sapphico:

Sed quia noſtro docuere in aevo.

FABVLA VI.

Ranae ad Solem.

Vicini furis celebres vidit nuptias
Aeſopus, & continuò narrare incipit:
Vxorem quondam Sol cùm vellet ducere,
Clamorem Ranae ſuſtulere ad ſidera.
Convicio permotus quaerit Iupiter
Cauſam querelae. Quaedam tum ſtagni incola:
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque miſeras aridâ ſede emori:
Quidnam futurum eſt, ſi crearit liberos?

FABVLA VII.

Vulpis ad perſonam tragicam.

Personam tragicam fortè Vulpis viderat:
O quanta ſpecies, inquit, cerebrum non habet!
Hoc illis dictum eſt, quibus honorem & gloriam
Fortuna tribuit, ſenſum communem abſtulit.

FABVLA VIII.

Lupus & Gruis.

QVI pretium meriti ab improbis deſiderat,
Bis peccat: primùm quoniam indignos adjuvat;
Impunè *f*) abire deinde quia jam non poteſt.
Os devoratum fauce cùm haereret Lupi,
Magno dolore victus coepit ſingulos
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem perſuaſa eſt jurejurando Gruis,
Gulaeque credens colli longitudinem,
Periculoſam fecit medicinam Lupo:
Pro quâ cùm pactum flagitaret praemium:
Ingrata es, inquit, ore quae noſtro caput
Incolume abſtuleris, & mercedem poſtules.

---

f) *Impune*] Id eſt, ſine periculo. Virgilius *Aen.* L. XI. v. 134. & ad hunc locum Servius.

FABVLA IX.

Paſſer & Lepus.

SIBI non cavere & aliis conſilium dare,
Stultum eſſe, paucis oſtendamus verſibus.

OPPRESSVM ab Aquilâ fletús edentem graves
Leporem objurgabat Paſſer: Vbi pernicitas
Nota, inquit, illa eſt? quìd ita ceſſarunt pedes?
Dum loquitur, ipſum accipiter nec-opinum g) rapit,
Queſtuque vano clamitantem interficit.
Lepus ſemianimus mortis in ſolatio:
Qui modò ſecurus noſtra inridebas mala,
Simili querelâ fata deploras tua.

---

g) *Nec-opinum*] Hic pro *nec-opinantem*. Deſiderabatur exemplum, quo defenderetur locutionis hujus latinitas. Eodem modo loquitur Statius *Sylvar.* l. 1. c. 3. v. 58. 59.

Dum vagor aſpectu, viſuſque per omnia duco,
Calcabam nec-opinus opes.



FABVLA X.

Lupus & Vulpis, judice Simio.

QVICVMQVE turpi fraude ſemel innotuit,
Etiamſi verum dicit, amittit fidem.
Hoc adteſtatur brevis Aeſopi fabula.
LVPVS arguebat Vulpem furti crimine:
Negabat illa ſe eſſe culpae proximam.
Tunc judex inter illos ſedit Simius.
Uterque cauſam cùm peroraſſent ſuam;
Dixiſſe fertur Simius ſententiam:
Tu non videris perdidiſſe quod petis,
Te credo ſubripuiſſe quod pulchrè *h*) negas.

---

h) *Pulchrè*] Id eſt, praefractè. Eodem ſenſu dixit de nebulone quodam Cicero orat. pro *Cluentio*, c. 26: *Hic ille planus . . . totus ex fraude & mendacio factus . . . pulchrè aſſeverat.*

FABVLA XI.

Aſinus & Leo venantes.

VIRTVTIS expers verbis jactans gloriam
Ignotos *i*) fallit, notis eſt deriſui.
VENARI Aſello comite cùm vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit ſimul
Ut inſuëtâ voce terreret feras;
Fugientes ipſe exciperet. Auriculas hic & *k*)
Clamorem ſubitò tollit totis viribus:
Novoque turbat beſtias miraculo.
Quae dum, paventes, exitus notos petunt,

---

i) *Ignotos*] *Ignoti* & *noti* activam perinde ac paſſivam ſignificationem habere poſſunt.

k) *Auriculas*] Cùm doctus ac diligens Auctorum veterum explanator *Gabriel Brotier*, in ſuis ad Phaedrum notis, anno 1783, teſtetur ſe in MSS. Codice Pithoeano legiſſe: *Hic auriculas clamorem & ſubito tollit totis viribus:* omnes has voces retineri, &, ſalvo metro, ſalvâ latinitate, componi poſſe judicavi, ſi *auriculas hi* pro *hic auriculas*, atque *& clamorem* prò *clamorem &* reponerem. Porrò vocula *hic* ante vocalem rectè corripitur. Virgil. *Aen.* L. VI, v. 792.
Hic vir, hic eſt.

Leonis adfliguntur horrendo impetu.
Qui poſtquàm caede feſſus eſt, Aſinum evocat,
Iubetque vocem premere. Tunc ille inſolens:
Qualis videtur tibi opera haec vocis meae?
Inſignis, inquit; ſic ut niſi noſſem tuum
Animum, genuſque, ſimili fugiſſem metu.

FABVLA XII.

Cervus ad Fontem.

LAVDATIS utiliora, quae contempſeris,
Saepe inveniri, haec exſerit narratio.
AD fontem Cervus cùm bibiſſet, reſtitit,
Et in liquore vidit effigiem ſuam.
Ibi dum ramoſa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum ſubitò vocibus conterritus,
Per campum fugere coepit, & curſu levi
Canes eluſit. Silva tum excepit Ferum,
In quâ, retentis impeditus cornibus,
Lacerari coepit morſibus ſaevis canum.
Tunc moriens, vocem hanc edidiſſe dicitur:

O me infelicem, qui nunc demum intelligo,
Utilia mihi quàm fuerint, quae despexeram,
Et quae laudaram quantum luctûs habuerint.

FABVLA XIII.

Vulpis & Corvus.

Qvi se laudari gaudet verbis subdolis,
Fere *l*) dat poenas turpi poenitentiâ.
Cvm de fenestra Corvus raptum caseum
Comesse vellet celsâ residens arbore,
Hunc vidit Vulpis, deinde sic coepit loqui:
O qui tuarum, Corve, pennarum est nitor!
Quantum decôris corpore & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
Emisit ore caseum; quem celeriter

---

l) *Fere*] Id est, plerumque. Terentius, *Phorm.* Act. 2. Sc. 3, v. 16.

Ruri fere
Se continebat.

Ad quem locum Donatus: *Bene*, inquit, *addidit, fere: non enim semper, sed plerumque.*

Doloſa Vulpis avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corvi deceptus ſtupor.
HAC re probatur ingenium quantùm valet.
Virtute ſemper praevalet ſapientia.

FABVLA XIV.

Ex Sutore Medicus.

MALVS cùm Sutor inopiâ deperditus
Medicinam ignoto *m*) facere coepiſſet loco,
Et venditaret falſo antidotum nomine,
Verboſis adquiſivit ſibi famam ſtrophis.
Hic cùm jaceret morbo confectus gravi
Rex urbis, ejus experiendi gratiâ
Scyphum popoſcit, fuſâ dein ſimulans aquâ
Antidoto miſcere illius ſe toxicum,
Ebibere juſſit ipſum, poſito praemio.
Timore mortis ille tum confeſſus eſt,

m) *Ignoto*] Locus dici potuit ignotus, ubi notus ille non erat. Sic apud Ovidium *Epiſt.* VII, v. 117. Dido, loquens de littore Libyco, dicit:

Applicor ignotis.

Non artis ullâ medicum ſe prudentiâ,
Verùm ſtupore vulgi factum nobilem.
Rex advocatâ concione haec addidit:
Quantae putatis eſſe vos dementiae,
Qui capita veſtra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiſit pedes?
HOC pertinere verè ad illos dixerim,
Quorum ſtultitia quaeſtus impudentiae eſt.

FABVLA XV.

Aſinus ad ſenem Paſtorem.

IN principatu commutando civium,
Nil praeter domini nomen mutant pauperes.
Id eſſe verum, parva haec fabella indicat.
ASELLVM in prato timidus paſcebat ſenex:
Is hoſtium clamore ſubito territus,
Suadebat Aſino fugere, ne poſſent capi.
At ille lentus: Quaeſo, num binas mihi
Clitellas impoſiturum victorem putas?
Senex negavit. Ergo, quid refert mea,
Cui ſerviam, clitellas dum portem meas?

FABVLA XVI.

Ovis, Cervus & Lupus.

FRAVDATOR homines cùm advocat ſponſum improbos, *n*)
Non rem expedire, ſed mala videre expetit.

OVEM rogabat Cervus modium tritici,
Lupo ſponſore. At illa praemetuens dolum:
Rapere atque abire ſemper adſuevit Lupus;
Tu de conſpectu fugere veloci impetu.
Ubi vos requiram, cùm dies advenerit?

---

n) In codice Pithoeano legitur: *Fraudator homines cùm avocat ſponſore improbo.* Atque in altero verſu non ſcriptum eſt *expetit*, ſed *expedit*. Emendationis autem univerſae, quam varii nobis Critici ſuppeditaverunt, ſenſus eſt: Cum fraudator homines adducit improbos, ut pro ſe ſpondeant, ſive ut vadimonium ſibi promittant, non rem ſibi traditam expedire ſive reddere cogitat, ſed mala creditoris, decepti ſcil. ac deluſi, videre expetit.

FABVLA XVII.

Ovis, Canis & Lupus.

SOLENT mendaces luere poenas malefici.
CALVMNIATOR ab Ove cùm peteret Canis
Quem commendaſſe o) panem ſe contenderet,
Lupus citatus teſtis, non unum modò
Deberi dixit, verùm affirmavit decem.
Ovis damnata falſo teſtimonio,
Quod non debebat, ſolvit. Poſt paucos dies
Bidens p) jacentem in foveâ conſpexit Lupum:
Haec, inquit, merces fraudis à Superis datur.

---

o) *Commendaſſe*] Sic habent MSS. Codd. Pithoeanus & Remenſis. *Commendare*, Gallice *mettre en depôt*. Ulpianus, apud Daviſium in notis ad Cic. *de Legib.* l. 2, c. 9. *Commendare nihil aliud eſt, quam deponere.*

p) *Bidens*] Sic rectè emendatum eſt ex fragmento Phaedri Petaviano, ubi legitur, *Videns*, quod in, *Bidens*, mutare pronum fuit.

FABVLA XVIII.

Mulier parturiens.

NEMO libenter recolit, qui laeſit, locum.
INSTANTE partu Mulier actis menſibus,
Humi jacebat flebiles gemitus ciens.
Vir eſt hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturae meliùs quò deponeret:
Minimè, inquit, illó poſſe confido loco
Malum finiri, quo conceptum eſt initio.

FABVLA XIX.

Canis parturiens.

HABENT inſidias hominis blanditiae mali,
Quas ut vitemus, verſus ſubjecti monent.
CANIS parturiens, cùm rogaſſet alteram,
Ut foetum in ejus tugurio deponeret,
Facilè impetravit: dein repoſcenti locum,
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos poſſet ducere.

Hoc quoque *q*) conſumpto, flagitare validiùs
Cubile coepit: Si mihi & turbae meae
Par, inquit, eſſe potueris, cedam loco.

FABVLA XX.

Canes famelici.

STVLTVM conſilium non modò effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.

CORIVM depreſſum in fluvio viderunt Canes.
Id ut comeſſe extractum poſſent faciliùs,
Aquam coepere bibere: ſed rupti priùs
Periere, quàm, quod petierant, contingerent.

---

q) *Hoc quoque conſumpto*] Senſus eſt: Hoc quoque tempus, quod Canis altera conceſſerat, poſtquàm conſumptum eſt, ſuum illa cubile vehementiùs, quàm antea, flagitare coepit.



FABVLA XXI.

Leo Senex, Aper, Taurus & Aſinus.

QVICVNQVE amiſit dignitatem priſtinam,
Ignavis etiam jocus eſt in caſu gravi.
DEFECTVS annis & deſertus viribus
Leo cùm jaceret ſpiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum vênit dentibus,
Et vindicavit ictu veterem injuriam:
Infeſtis Taurus mox confôdit cornibus
Hoſtile corpus. Aſinus ut vidit Ferum
Impune laedi, calcibus frontem extudit.
At ille expirans: Fortes indignè tuli
Mihi inſultare: te, naturae dedecus,
Quòd ferre certè r) cogor, bis videor mori.

r) *Certè cogor*] Adverbium, *certè*, vim habet hîc ſignificantiorem, ut exprimatur Leonis indignatio.



FABVLA XXII.

Mustela & Homo.

MVSTELA ab Homine prensa, cùm instantem necem
Effugere vellet: Parce, quaeso *s*), inquit, mihi,
Quae tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille: Faceres si causâ meâ,
Gratum esset, & dedissem veniam supplici:
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quas sunt rosuri, simul & ipsos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus, improbam leto dedit.
HOC in se dictum debent illi agnoscere,
Quorum privata servit utilitas sibi,
Et meritum inane jactant imprudentibus.

---

s) *Parce, quaeso*] In MSS. Codicibus Pithoeano & Remensi legitur:

Quaeso, inquit, parce mihi.

Pithoeus edidit, *parcas mihi*; maluitque primam vocem sic mutare, quàm transferre.

FABVLA XXIII.

Canis fidelis.

Repente liberalis stultis gratus est,
Verùm peritis inritos tendit dolos.
Nocturnus cùm fur panem misisset Cani,
Objecto tentans an cibo posset capi:
Heus, inquit, linguam vis meam praecludere,
Ne latrem pro re domini. Multùm falleris:
Namque ista subita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne meâ culpâ lucrum.

FABVLA XXIV.

Rana rupta & Bos.

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
In prato quodam Rana conspexit Bovem,
Et tacta invidiâ tantae magnitudinis,
Rugosam inflavit pellem. Tum natos suos
Interrogavit, an Bove esset latior.
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Majore nisu, & simili quaesivit modo,

Quis major eſſet. Illi dixerunt Bovem.
Noviſſimè indignata, dum vult validiùs
Inflare ſeſe, rupto jacuit corpore.

FABVLA XXV.

Canis & Corcodilus.

CONSILIA qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam, & deridentur turpiter.
CANES currentes bibere in Nilo flumine,
A Corcodilis ne rapiantur, traditum eſt.
Igitur cùm currens bibere coepiſſet Canis,
Sic Corcodilus: Quàmlibet t) lambe: ociùs
Potare noli: accede; quid times? dolos
Noli vereri. At ille: Facerem mehercule,
Niſi eſſe ſcirem carnis te cupidum meae.

---

t) In utroque Codice, Pithoeano & Remenſi, abſurda haec leguntur: *Quamlibet lambe ocius pota accede noli timere ſedulo ait at noli vereri inquit at ille facere mehercule.*

FABVLA XXVI.

Vulpis & Ciconia.

NVLLI nocendum: ſi quis verò laeſerit,
Multandum ſimili jure; fabella admonet.
AD coenam Vulpis dicitur Ciconiam
Prior invitaſſe, & ei in patellâ *u*) liquidam
Poſuiſſe ſorbitionem, quam nullo modo
Guſtare eſuriens potuerit Ciconia.
Quae Vulpem cùm revocaſſet, intrito cibo
Plenam lagenam poſuit. Huic roſtrum inſerens
Satiatur ipſa, & torquet convivam fame.
Quae cùm lagenae fruſtra collum lamberet;
Peregrinam ſic locutam volucrem accepimus:
Sua quiſque exempla debet aequo animo pati.

---

u) Codices MSS. Pithoeanus & Remenſis habent:
Prior invitaſſe, & ei liquidam in patenâ.
Patena & *patella* in antiquis Codicibus eodem fere ductu literarum exprimuntur. Sed patella, poetis praeſertim, longè uſitatior fuit, quàm *patena*, aut *patina*.

FABVLA XXVII.

Canis, & Thesaurus, & Vulturius.

HAEC res avaris esse conveniens potest,
Et qui humiles nati dici locupletes student.
HVMANA effodiens ossa, thesaurum Canis
Invênit. Et violarat quia Manes Deos,
Injecta est illi divitiarum cupiditas,
Poenas ut sanctae religioni penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi,
Fame est consumptus. Quem stans Vulturius super
Fertur locutus: O Canis, meritò jaces,
Qui concupîsti subitò regales opes,
Trivio conceptus, & educatus stercore.

FABVLA XXVIII.

Vulpis & Aquila.

QVAMVIS x) sublimes debent humiles metuere:
Vindicta docili quia patet solertiae.

x) *Quàmvis*] Hic adhibetur pro, *quantùmvis*, ut supra fab. 25, v. 6. *quàmlibet* pro, *quantùmlibet*.

VVLPINOS catulos Aquila quondam ſuſtulit,
Nidoque poſuit pullis, eſcam ut carperent:
Hanc perſecuta mater, orare incipit,
Ne tantum miſerae luctum importaret ſibi.
Contempſit illa, tuta quippe ipſo loco.
Ab arâ Vulpis rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hoſti dolorem damno miſcens *y*) ſanguinis.
Aquila, ut periclo mortis eriperet ſuos,
Incolumes uatos ſupplex Vulpi tradidit.

FABVLA XXIX.

Aſinus inridens.

PLERVMQVE ſtulti riſum dum captant levem,
Gravi deſtringunt alios contumeliâ,
Et ſibi nocivum concitant periculum.
ASELLVS Apro cùm fuiſſet obvius;
Salve, inquit, frater. Ille indignans, repudiat

y) *Miſcens*] Dictum hîc pro, *miſcere volens*. Senſus eſt: hoſti cauſam dolendi parans ipſo etiam ſanguinis, ſive catulorum ſuorum damno.

Officium, & quaerit, cur ſic mentiri velit.
Garrire Aſellus inſtitit nihilominus,
Roſtrumque aprugnum deriſit procaciter.
Aper cùm vellet facere generoſum impetum,
Repreſſit iram; & : Facilis vindicta eſt mihi;
Sed inquinari nolo ignavo ſanguine.

FABVLA XXX.

Ranae metuentes Taurorum praelia.

HVMILES laborant, ubi potentes diſſident.
RANA in palude pugnam Taurorum intuens:
Heu, quanta nobis inſtat pernicies, ait!
Interrogata ab aliâ, cur hoc diceret,
De principatu cùm illi certarent gregis,
Longeque ab ulvis degerent vitam boves z):

z) In MSS. Codicibus legitur:
De principatu cùm illi certarent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam boves.
Nicol. Heinſius removet à primo verſu, *illi*, & legi vult *decertarent*. Quam quidem emendationem omnes prope Editiones nunc exhibent. Sed per vocem, *boves*, quae ſubſequitur, cùm vaccae debeant intelligi; & vox, *illi*, tauros ſignificet, qui de earum grege

Statio, ait, ſeparata, ac diverſum eſt genus:
Sed pulſus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in ſecreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede;
Caput ita ad noſtrum furor illorum pertinet.

FABVLA XXXI.

Miluus a) & Columbae.

Qvi ſe committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.

---

gubernando certabant, nihil in primo verſu, ubi vox, *illi*, neceſſaria eſſe videtur, mutari debuit. At neque vox, *illis*, ſubſiſtere in altero verſu poteſt, quin orationem prorſus invenuſtam efficiat, & ſenſum etiam perturbet. *Ulvis* ergo repoſuimus; quam vocem Librarius cùm parum intelligeret, mutare in, *illis*, facilè potuerit. Ulvae autem, quae ſunt herbae paluſtres, ranarum ſtationem optime deſignant.

a) *Miluus*] Iam diu eſt, cùm Gifanius, Lambinus, Gruterus, Voſſius, Gudius & alii docuerunt, reperiri ſemper in vetuſtiſſimis Codicibus ſcriptum vel, *miluum*, vel, *milvum*; nunquam verò, *milvium*. Obſervat etiam Tanaquillus Faber, à voce, *miluus*, factum eſſe, *miluina*, quod Plauti *Menaech*. Act. I, Sc. 3, v. 29 legitur; alioquin dicendum fuiſſe, *milviena*, quemadmodùm à voce, *lanius*, factum eſt *laniena*.

COLVMBAE ſaepe cùm fugiſſent Miluum,
Et celeritate pennae vitaſſent necem,
Conſilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare ſollicitum potiùs aevum ducitis,
Quàm regem me creatis iſto foedere,
Qui vos ab omni tutas praeſtem injuriâ?
Illae credentes, tradunt ſeſe Miluo,
Qui regnum adeptus coepit veſci ſingulas,
Et exercere imperium ſaevis unguibus.
De reliquis tunc una: Meritò plectimur.





LIBER SECVNDVS.

PROLOGVS.

EXEMPLIS continetur Aeſopi genus;
Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,
Quàm corrigatur error ut mortalium,
Acuatque ſeſe diligens induſtria.
Quicunque fuerit ergo narrandi locus,
Dum capiat aurem & ſervet propoſitum ſuum,
Re commendatur, non Auctoris nomine.
Equidem omni curâ morem ſervabo Senis.
Sed ſi libuerit aliquid interponere
Dictorum, ſenſus ut delectet varietas,
Bonas in partes, lector, accipiat velim:

Sic ea rependet illi brevitas gratiam,
Cujus verboſa *a*) nec ſit commendatio.

FABVLA I.

Iuvencus, Leo & Praedator.

ATTENDE cur negare cupidis debeas;
Modeſtis etiam offerre quod non petierint.
SVPER Iuvencum ſtabat dejectum *aa*) Leo:
Praedator intervênit partem poſtulans.
Darem, inquit, niſi ſoleres per te ſumere:
Et improbum rejecit. Fortè innoxius
Viator eſt deductus in eumdem locum,
Feroque viſo retulit retro pedem.
Cui placidus ille: Non eſt quod timeas, ait;
Et, quae debetur pars tuae modeſtiae,
Audacter tolle. Tunc diviſo tergore,
Silvas petivit, homini ut acceſſum daret.

---

a) *Cujus &c.*] Id eſt, quae verboſè etiam non commendetur. MSS. Codices habent *neſcit*, pro quo *nec ſit* repoſuimus.

aa) *Dejectum*] Q. Curtius, L. 8, c. 1 de Alexandro loquens: *Ille quatuor millibus ferarum dejectis, in eodem ſaltu cum toto exercitu epulatus eſt.*

EXEMPLUM egregium prorſus & laudabile.
Verùm eſt aviditas dives, & pauper pudor.

FABULA II.

Anus virum aetatis mediae diligens, item Puella.

A feminis utcunque ſpoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis diſcimus.
AETATIS mediae quemdam mulier non rudis *b*)
Tenebat, annos celans elegantiâ:
Animoſque ejuſdem pulchra juvenis ceperat.
Ambae videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere coepere invicem:
Cùm ſe putaret pingi curâ mulierum,
Calvus repentè factus eſt. Nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

---

b) *Quemdam*] Uterque Codex MSS. habet:
Aetatis mediae quaedam mulier non rudis.
At in Remenſi, *quedam*, cum lineâ ſuper inducta legiſſe ſe Gudius teſtatur. Quae lectio probat, rectè à Praſchio repoſitum fuiſſe, *quemdam*, & in altero verſu, *tenebat*, pro *regebat*.

FABVLA III.

Homo & Canis.

LACERATVS quidam morſu vehementis Canis,
Tinctum cruore panem miſit malefico,
Audierat eſſe quòd remedium vulneris.
Tunc ſic Aeſopus: Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Cùm ſcierint eſſe tale culpae praemium.
SVCCESSVS improborum plures allicit.

FABVLA IV.

Aquila, Feles, & Aper.

AQVILA in ſublimi quercu nidum fecerat:
Feles cavernam nacta in mediâ pepererat:
Sus nemoris cultrix c) foetum ad imam poſuerat.

c) *Sus nemoris cultrix*] Codicum MSS. veterumque Editionum haec eſt Lectio: quae vera nobis & optima videtur. Rittershuſius legendum propoſuerat, uno vocabulo, *Sus nemori-cultrix.* Quam conjecturam Bentleius, Burmannus, aliique permulti receperunt. Cùm tamen unum certum nemus hic intelligi debeat,

Tum fortuitum Feles contubernium
Fraude & ſceleſtâ ſic evertit malitiâ.
Ad nidum ſcandit volucris: Pernicies, ait,
Tibi paratur, forſan & miſerae mihi.
Nam fodere terram quòd vides quotidie *d*)
Aprum inſidioſum, *e*) quercum vult evertere,
Ut noſtram in plano facilè progeniem opprimat.

---

in quo res tota peragatur; magis appoſitè dictum, *Sus nemoris cultrix*, (*une Laïe habitante de la foreſt*) quàm ſi Phaedrus dixiſſet, *nemori-cultrix*, (*habitante des forêts*) cujus vocis hic eſſet nimis generalis ſignificatio. Fides ergo veterum Codicum temere atque etiam inſcitè neglecta eſt.

d) *Quotidie*] Sic lib. 3, fab. 8, v. 14.

Quotidie, inquit, ſpeculo vos uti volo.

Et lib. 4, Epil. v. 10.

Nam vita morti propior eſt quotidie.

Tria porro haec exempla carpit Scioppius, & ſecundam in, *quotidie*, ſyllabam male eſſe productam opinatur: quod miror ab homine, maledicentiſſimo quidem, ſed alioquin erudito, fuiſſe prolatum. Nam eadem ſyllaba apud Terentium & Publ. Syrum ſaepe recurrit, & ſemper producitur.

e) *Aprum inſidioſum*] Sus eadem illa eſt, quam Phaedrus v. 3 *Nemoris cultricem*; & v. 12 *ſetoſam* vocat. Aper videlicet aequè feminam poteſt, ac marem ſignificare. Epicoena autem vocantur ejusmodi nomina.

Terrore offuſo *f*) & perturbatis ſenſibus;
Direpit ad cubile ſetoſae Suis:
Magno, inquit, in periclo ſunt nati tui.
Nam ſimul exieris paſtum cum tenero grege,
Aquila eſt parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore poſtquam complevit locum,
Doloſa tuto condidit ſeſe cavo.
Inde evagata noctu ſuſpenſo pede,
Ubi eſcâ ſe replevit & prolem ſuam,
Pavorem ſimulans proſpicit toto die.
Ruinam metuens Aquila ramis deſidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.

Eodem modo Virgilius, *Aen.* l. 1, v. 356. Lupos feminas vocat raptores Lupos. Perizonius ad Sanctii Minervam, cap. 7, pag. 58, Edit. 1704. *Epicoena*, inquit, *dicta, quoniam utrumque ſexum unâ non modò terminatione, ſed & uno genere grammatico exprimere valent; ut dicatur hic paſſer etiam de femina, haec aquila etiam de maſculo.*

f) *Terrore offuſo*] MSS. Codices & multae Editiones habent, *effuſo*. Sed terrorem effundere, terrorem eſt ejicere; offundere autem, terrere eſt. Ritterhuſius jam anno 1589. legendum eſſe, *offuſo*, conjecerat; quam conjecturam tardè quidem, ſed unanimi denique conſenſu Critici admiſerunt.

Quid multa? inediâ sunt consumpti cum suis,
Felique & catulis g) largam praebuerunt dapem.
QVANTVM homo bilinguis saepe concinnet h) mali
Documentum habere stulta credulitas potest.

FABVLA V.

Caesar ad Atriensem.

EST ardelionum quaedam Romae natio i)
Trepidè concursans, occupata in otio,

---

g) *Felisque catulis*] Franciscus Hare anno 1728 legendum esse monuit, *felique & catulis*. Quae mihi emendatio proba cùm videretur; eam censui, exemplum Gabrielis Brotier sequutus, esse praeferendam huic MSS. Codicum Lectioni:

Felisque catulis largam praebuerunt dapem.

Etenim non soli catuli, sed ipsa quoque feles praedâ frui tam opimâ debuit.

h) *Concinnet*] Id est, fingendo & comininiscendo inferat.

i) *Ardelionum natio*] Iuvenalis, *Sat.* 3, v. 100.

Natio comoeda est.

Martialis, lib. 2, *Epigr.* 7.

Vis dicam, quid sis? Magnus es ardelio,

Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta *k*) & aliis odiosissima.
Hanc emendare, si tamen possum, volo
Verâ fabellâ: pretium est operae attendere.
CAESAR Tiberius cùm, petens Neapolim,
In Misenensem villam venisset suam,
Quae monte summo posita Luculli manu,
Prospectat Siculum & prospicit Tuscum mare,
Ex alticinctis unus atriensibus, *l*)
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat districta, cirris dependentibus, *m*)
Domino ambulante laeta per viridaria, *n*)

---

k) *Sibi molesta*] Seneca, *Epist.* 98. *Istos satageos ac sibi molestos describam tibi.*

l) Servis, qui atrienses dicebantur, omnis contenta in atrio supellex curanda committebatur: quamobrem illi altè cingi solebant.

m) Tunica linteo Aegyptiaco erat illi adeò restricta, ut brachia nudarentur; crines autem soluti dependebant. Salmasius, *de comâ*, pag. 349: *Soluti*, inquit, *crines & pendentes, cirri sunt.*

n) MSS. Codices & antiquae editiones exhibent hunc versum uno pede longiorem:
Perambulante laeta domino viridaria.

Alveolo coepit ligneo conſpergere
Humum aeſtuantem, jactans opificium comae. *o*)
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Praecurrit alium in xiſtum, ſedans pulverem.

Qui recentioribus in Editionibus ſic emendatus eſt:
Perambulante laeta domino viridia.
Domino & *per*, invicem tranſtulimus; ac *viridiaria*, quae vox latina non eſt, mutavimus in *viridaria:* quod nobis commodius & Phaedro dignius viſum eſt.

o) Manuſcripti Codices habent: *Iactans officium come.* Subſtituerunt poſt Rigaltium Critici fere omnes: come officium jactitans. Sed & *Iactitans* & *come officium*, locutiones hic eſſe bene latinas, nemo, quod ſciam, idoneis huc usque teſtimoniis oſtendit. Ibi, credo, agitur de comâ, non autem de officio vel comitate hujus atrienſis; ad quod etiam intelligendum praeparat verſus 13. ubi memorantur cirri dependentes. Porrò vox, *opificium*, quam voci, *officium*, ſubſtituimus, hic concinnitatem operoſam ſignificat, quale eſt opificium, quo ſolent apes detineri, ut videre licet apud Varronem libro 3, c. 16. *de re ruſtica.* Quod ſpectat ad comam, Feſtus, voce *comtus: Comae*, inquit, *dicuntur capilli cum aliquâ curâ compoſiti.* Atrienſis ergo noſter opificium comae, ſive capillos, vel unguento delibutos, vel etiam calamiſtratos; curioſè certè ac ſolerter compoſitos jactabat, quemadmodum jubam jactare ſolet equus ſtudio currendi inflammatus.

Agnoſcit hominem Caeſar, remque intelligit. *p*)
Is ut putavit *q*) eſſe neſcio quid boni:
Heus, inquit Dominus. Ille enimvero adſilit,
Donationis alacer certae gaudio.
Tum ſic jocata eſt tanta majeſtas Ducis:
Non multum egiſti, & opera nequicquam perît:
Multo majoris alapae mecum veneunt.

FABVLA VI.

Aquila, & Cornix.

CONTRA potentes nemo eſt munitus ſatis:
Si verò acceſſit conſiliator maleficus,

---

p) *Remque intelligit*] Id eſt, perſpicit, quas animo ſpes agitet iſte Atrienſis.

q) *Is ut putavit*] Id eſt: Ubi Atrienſis perſuaſum habere viſus eſt, nuntiari ſibi aliquid boni. Non *is*, ſed *id* in aliis editionibus legitur: at cum neutra harum vocularum in MSS. Codicibus reperiatur, primam adjeci, alteram repudiavi, quae ſenſum Auctoris perturbare videbatur. Scripſeram haec jam ante XXVII annos, cùm vidi prudentem Criticum, Gabrielem Brotier, in ſuis ad Editionem anni 1783 notis eadem ſentire mecum; ideoque mihimet ipſi de meâ emendatione ſum gratulatus.

Vis & nequitia quidquid oppugnant, ruit.
AQVILA in ſublime ſuſtulit Teſtudinem,
Quae cùm abdidiſſet corneâ corpus domo,
Nec ullo pacto laedi poſſet condita,
Venit per auras Cornix, & propter volans: *r*)
Opimam ſane praedam rapuiſti unguibus,
Sed niſi monſtrâro, quid ſit faciendum tibi,
Gravi nequicquam te laſſabit pondere.
Promiſſâ parte, ſuadet ut ſcopulum ſuper
Altis ab aſtris duram inlidat corticem, *s*)
Quâ comminutâ facilè veſcatur cibo.
Inducta verbis Aquila, monitis paruit,
Simul & magiſtrae largè diviſit dapem.

---

r) *Propter volans*] Id eſt, aquilam comitans pari & proximo volatu.

s) *Duram corticem*] Virgilius, *Ecl.* VI, v. 62.

Muſco circumdat amarae
Corticis.

At Varro in Tithono, apud Nonium, voce *Cortex*, corpus vocat, *corporeum corticem*, in hoc verſu octonario:

Sic invitata jam matura anima corporeum corticem
Facilè relinquit.

Sic tuta quae naturae fuerat munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

FABVLA VII.

Muli duo & Vectores.

MVLI gravati sarcinis ibant duo:
Unus ferebat fiscos cum pecuniâ,
Alter tumentes multo saccos hordeo:
Ille onere dives, celsâ cervice eminet,
Clarumque collo jactat tintinnabulum: *t*)
Comes quieto sequitur & placido gradu.
Subitò latrones ex insidiis advolant,
Interque caedem ferro mulum sauciant, *u*)

t) *Tintinnabulum*] Hieron. Magius, de *Tintinnabulis*, cap. 8. *Olim*, inquit, *oblectamenti atque ornatûs gratiâ Muliones atque Agasones equis mulisque tintinnabula alligabant; quod & hodie passim fieri videmus.*

u) *Sauciant*] Sic pro, *trucidant*, quod habent MSS. Codices, legendum esse Nic. Heinsius olim conjecerat: quam lectionem fuisse posteà, in fabularum collectione Nic. Perotti manuscriptâ, à Jac. Phil. Jac. Dorvillio, sive D'orville, inventam, Burmannus, praefat. Edit. an. 1727, testatur.

Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur caſus cùm fleret ſuos:
Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo;
Nam nihil amiſi, nec ſum laeſus vulnere.

Hoc argumento tuta eſt hominum tenuitas,
Magnae periclo ſunt opes obnoxiae.

FABVLA VIII.

Cervus ad Boves.

Cervus nemoroſis excitatus latibulis,
Ut venatorum fugeret inſtantem necem, x)
Caeco timore proximam villam petit,

---

x) *Venatorum necem*] Id eſt, necem à venatoribus intentatam. Miror, hanc lectionem à doctiſſimo Bentleio vocatam eſſe ridiculam; cùm eam poſſe innumeris Auctorum veterum exemplis defendi, non ignorare debuerit. Virgilius *Aen.* l. XII, v. 4.

Poenorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo.

Et ad has voces, *venantum vulnere*: *Quod*, inquit Servius, *venantes fecerunt.* Atque A. Gellius l. IX, c. 12: *Metus aeque & injuria, & alia quaedam id genus ſic utroqueverſum dici poſſunt. Nam metus hoſtium*

Et opportuno ſe bubili condidit.
Hîc Bos latenti: Quidnam voluiſti tibi,
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto ſpiritum commiſeris?
At ille ſuplex: Vos modò, inquit, parcite,
Occaſione rurſus erumpam datâ.
Spatium diei, noctis excipiunt vices:
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
Eunt ſubinde & redeunt omnes ruſtici,
Nemo animadvertit: tranſit etiam villicus,
Nec ille quidquam ſentit. Tum gaudens Ferus
Bobus quietis agere coepit gratias,
Hoſpitium adverſo quòd praeſtiterint tempore.
Reſpondit unus: Salvum te cupimus quidem,
Sed ille, qui oculos centum habet, ſi venerit;
Magno in periclo vita vertetur tua.
Haec inter ipſe dominus a coena redit:
Et quia corruptos viderat nuper Boves,

---

rectè dicitur, & cùm timent hoſtes, & cum timentur . . . Injurias itidem dicimus tam illorum, qui patiuntur, quàm qui faciunt: quarum dictionum exempla ſunt facilia inventu.

Accedit ad praeſepe: Cur frondis parum eſt?
Stramenta deſunt. Tollere haec aranea *y*)
Quantum eſt laboris? Dum ſcrutatur ſingula,
Cervi quoque alta eſt conſpicatus cornua,
Quem convocatâ jubet occidi familiâ,
Praedamque tollit. Haec ſignificat fabula,
Dominum *z*) videre plurimùm in rebus ſuis.

EPILOGVS.

Auctor ad Lectorem.

Aesopo ingentem ſtatuam *a*) poſuere Attici,
Servumque collocarunt aeterna in baſi,

---

y) *Tollere haec aranea*] Cornelius Fronto, ex Auſonii Popmae Edit. an. 1606, pag. 258. *Araneum, quod textum eſt: Aranea, quae texit.*

z) *Dominum*] Plinius, *Hiſt.* l. XVIII, c. 6. *Majores fertiliſſimum in agro oculum domini eſſe dixerunt.*

a) *Ingentem ſtatuam*] Auctoritate MSS. Codicum, Pithoeani & Remenſis, iſta ſe defendit Lectio: quam Editiones pleraeque, ipſae etiam Hoogſtratani ac Burmanni poſteriores admiſerunt. Codex quidem Perotti obtulit Dorvillio:

Aeſopi ingenio ſtatuam poſuere Attici.

Patere honoris ſcirent ut cuncti viam,
Nec generi tribui, ſed virtuti gloriam.
Quoniam occuparat alter ne primus forem;
Ne ſolus eſſet ſtudui, quod ſuperfuit.
Nec haec invidia, verùm eſt aemulatio.
Quod ſi labori faverit Latium meo,
Plures habebit quos opponat Graeciae.
Si livor obtrectare curam voluerit,

Sed praeterquam quòd Phaedri verſus prope omnes immutatos & depravatos à Perotto fuiſſe conſtat; aliquis eſt fortè dubitandi locus, an bene latina ſit locutio, de quâ hic agitur: atque Franciſcus Hare, vir peritiſſimus: *Ingenio*, inquit, *alicujus ſtatuam ponere nullo, quod ſciam, exemplo dicitur.* At quaerit Bentleius; cur porrò ingentem ſtatuam Aeſopo Attici poſuerint. Cauſa inveniri poteſt in Agathiae eleganti epigrammate, *Anthologiae* libro quarto ſub finem: ubi laudatur Lyſippi ſculptoris celeberrimi prudentia, quòd Aeſopum ſeptem Sapientibus annumerari cùm vellet, eum, non inter, ſed ante ipſos collocaverit:

Επτὰ σοφῶν ἔμπροσθεν

ante ſeptem Sapientes, propter doctrinam ejus praeſtantiorem. Unde rectè colligi poteſt, Aeſopum, ut qui praeſtaret ſeptem Sapientibus, & ideo extra ordinem poſitus fuiſſet, habitum eſſe tanquam ipſorum principem, ac proinde inſigniori, ſive ingenti ſtatuâ donatum.

Non tamen eripiet laudis conſcientiam.
Si noſtrum ſtudium ad aures pervenit tuas,
Et arte fictas animus ſentit fabulas,
Omnem querelam ſubmovet felicitas:
Sin autem ab illis doctus occurrit labor, *b*)

---

b) *Doctus labor*] Omnes hic intelligunt laborem Phaedri; eumque doctum ab ipſomet vocatum fuiſſe, patienter ferunt. Scio Horatium ſcripſiſſe,

Exegi monumentum aere perennius.

Scio complures alios aliis ejusmodi ſeſe laudibus extuliſſe. Sed exemplum alicujus antiqui ſcriptoris afferri vellem, qui proprium opus appellatione docti laboris indicaviſſet. Opus hoc ſuum Phaedrus v. 12. *Studium*, v. 10. *curam*, v. 8. *laborem* ſimpliciter vocat: nunc vocare *doctum laborem* non debuiſſe videtur. Rejeci ergo emendationem hanc Rigaltii, quae jam ab anno 1617 invaluit:

Sin autem doctus illis occurrit labor;

Et MSS. Codicum, veterumque editionum lectionem revocavi: cujus hic ſenſus eſt: Sin autem fraudes laborioſae, ſive docti doli mihi adverſentur, ſive objiciantur ab illis, quos in hanc lucem omnibus communem natura edidit ſiniſtra, id eſt, aliorum felicitati male conſulens; & qui nihil aliud poſſunt, niſi homines meliores ipſis carpere: calamitatem hanc fatalem, ſive ſolâ fati inclementiâ, nullâ meâ culpâ, exortam obfirmato animo patiar, uſque dum corrigat errorem ſuum fortuna & affligere innocentem deſinat.

Siniſtra quos in lucem natura extulit,
Nec quidquam poſſunt niſi meliores carpere,
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat ſui.

Vide} Plautum, *mil. glor.* Act. 2, Sc. 2, v. 93. Terentium, *Hec.* Act. 3, Sc. 1, v. 6. Ciceronem, *Offic.* Lib. 2, c. 2.



LIBER



LIBER TERTIVS.

PROLOGVS.

Phaedrus ad Eutychum.

PHAEDRI libellos legere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, à negotiis,
Ut liber animus sentiat vim carminis. *a*)
Verùm, inquis, tanti non est ingenium tuum,
Momentum ut horae pereat officiis meis.

a) *Vim carminis*] Hic intellige, non metricam vim, sed ipsam intentionem fabularum. Nam & fabula quaeque Auctoris nostri carmen est, & fabularum opus universum dici quoque carmen potest. Immo qui praecepta & regulas bene vivendi, non versibus, sed prosa oratione, ut apud A. Gellium, lib. II, c. 2 vi-

Non ergo causa est, manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortasse dices: Aliquae venient feriae,
Quae me soluto pectore ad studium vocent.
Legesne, quaeso, potiùs viles naenias,
Impendas curam quàm rei domesticae,
Reddas amicis tempora, uxori vaces, *b*)
Animum relaxes, otium des corpori,
Ut adsuetam fortiùs praestes vicem?
Mutandum tibi propositum est & vitae genus,
Intrare si Musarum limen cogitas.
Ego; quem Pierio mater enixa est jugo,

---

dere est, tradiderat, Cato ille censorius, suum librum, *Carmen de moribus*, inscripserat: & Cicero l. 2, c. 23 *de Legibus*, XII Tabulas carmen appellat. Iam verò id quod scriptor intendit, *Intentionem operis* vocat Quintilianus *Inst.* l. 10, c. 3, & Plinius *Epist.* 7, l. 4 de Intentione efficaci loquens, hanc posse vim quamdam appellari docet. Vult ergo Phaedrus animum Eutychi esse liberum & vacuum à negotiis, ut Intentionem operis, sive fabularum doctrinam, sentire & percipere possit.

b) Tempora hic significant opportunitatem loquendi, quae dari ultro citroque inter amicos debet.

In quo tonanti ſancta Mnemoſyne Iovi,
Foecunda novies, artium peperit chorum,
Quamvis in ipſâ paene ſim natus ſcholâ,
Curamque habendi penitus corde eraſerim,
Et laude inviſtâ *c*) vitam in hanc incubuerim,
Faſtidioſè tamen in coetum *d*) recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quaerit omni vigiliâ,
Docto labori dulce praeponens lucrum?
Sed jam *quodcunque fuerit* (ut dixit Sinon, *e*)
Ad regem cùm Dardaniae perductus *f*) foret)
Librum exarabo tertium Aeſopi ſtilo,

---

c) *Et laude invictâ*] In utroque MST. Codice & in pleriſque editionibus legitur, *invitâ*. Mea, niſi fallor, emendatio Auctoris propoſito convenit. Ipſe enim, l. 2, Epil. v. 5, 6. & l. 4 Epil. v. 3, 4. & l. 5 Prol. v. 4, 5. ſatis indicat, nullum huc uſque poetam latinum in hanc vitam, ſive in hoc ſcribendi genus incubuiſſe. Suam ergo laudem jure dicit invictam.

d) *In coetum*] Muſarum ſcilicet, aut poetarum.

e) *Sinon*] Virgil. *Aen.* l. 2, v. 77.

f) *Perductus foret*] Pro *eſſet*, vel *fuiſſet*. Ita fab. ſeq. 10, v. 13.

Qui cùm de puero multa mentitus foret.

Honori & meritis dedicans illum tuis:
Quem ſi leges, laetabor, ſin autem minùs,
Habebunt certè, quo ſe oblectent pòſteri. *g*)
NVNC fabularum cur ſit inventum genus,
Brevì docebo. *h*) Servitus obnoxia, *i*)
Quia quae volebat, non audebat dicere,

Et lib. 5, f. 5, v. 10.

Quod in theatro nunquam prolatum foret.

Ita & Lucretius, l. 5, v. 1025.

Aut genus humanum jam tum foret omne peremptum.

Et Corn. Nepos, Lib. VI, c. 3. Quàm verè foret judicatum.

g) Cur Phaedrus Euthycum & poſteros tantummodò hic indicat, quorum ad manus hae fabulae transmittendae ſint? Ab aliis ergo tunc viventibus legendae non erant: ex hoc ergo loco intelligere licet, Auctorem jam ob fabulas quasdam mulctatum, & exemplo proprio edoctum, providiſſe, ne ſcripta ſua deinceps ſe vivo in publicum emitterentur.

h) *Brevì docebo*] Cicero, *de orat.* l. 1, c. 46. *Hanc vim ſi quis exiſtimat . . . à me poſſe exponi tam brevì, vehementer errat.*

i) *Servitus obnoxia*] Id eſt, Aeſopus ſervus & alienae voluntati obnoxius. Cùm autem v. 38. *Ego porrò illius &c.* ad vocem, *ſervitus*, reſpiciat, hic loquendi modus inter ſingularia Phaedri reponendus eſt.

Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit jocis.
Ego porro illius semitâ feci viam,
Et cogitavi plura quàm reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.
Quòd si accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, judex alius, denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
Suspicione *k*) si quis errabit suâ,

---

k) *Suspicione*] Hic secunda syllaba rectè producitur, quemadmodùm in hoc fabulae 10 sequentis versu:

Maligna insontem deprimit suspicio.

Hanc male corripuit Cardinalis de Polignac in suo ceteroquin elegantissimo poemate: hanc posse produci imperitè negant Praschius & Gudius, & frustra monent reponendum esse, *suspectio*, & *suspectione*: nam Pub. Syrus v. 7.

Ad tristem partem strenua est suspicio.

V. 730.

Suspicio sibi ipsa rivales facit.

Et Martialis l. 11, *Epigr.* 46.

Oblinitur, minimae si qua est suspicio rimae.

Atque eadem syllaba semper producitur apud Terentium, videlicet: *Andr.* Act. 2, Sc. 1, v. 17. Sc. 2, v. 22. Act. 3, Sc. 2, v. 21. *Eunuc.* Act. 1, Sc. 1, v.

Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,
Stultè nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nihilominùs.
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verùm ipsam vitam & mores hominum ostendere.

REM me professum dicet fors aliquis gravem.
Si Phryx Aesopus potuit, si Anacharsis Scytha l)
Aeternam famam condere ingenio suo:
Ego literatae qui sum propior Graeciae,
Cur somno inerti deseram Patriae decus?
Threissa cùm gens numeret Auctores suos,
Linoque Apollo sit parens; Musa Orpheo,
Qui saxa cantu movit & domuit feras;
Hebrique tenuit impetus dulci morâ.

---

13. Act. 3, Sc. 1, v. 46. Sc. 3, v. 8. *Heautont.* Act. 4, Sc. 5, v. 52. Act. 5, Sc. 2, v. 41. *Adelph.* Act. 4, Sc. 3, v. 9 & v. 15. *Hecyr.* Act. 4, Sc. 2, v. 3.

l) *Anacharsis Scytha*] Sapiens habitus est; & ipsis Aesopi temporibus floruisse dicitur: de quo Lactantius, *div. Instit.* l. 3, c. 25. non satis prudenter, ut mihi videtur, sic pronuntiat: *Philosophiam ne somniasset quidem, nisi & Linguam & Graecas literas ante didicisset.* Nam inter barbaros nasci philosophus potest.

Ergo hinc abeſto, Livor, ne fruſtra gemas:
Quoniam ſolemnis mihi debetur gloria.

INDVXI te ad legendum: ſincerum mihi
Candore noto reddas judicium peto.

FABVLA I.

Anus ad Amphoram.

Anus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna faece & teſtâ nobili *m*)
Odorem quae jucundum latè ſpargeret.
Hunc poſtquàm totis avida traxit naribus:
O ſuavis anima! Quale in te dicam bonum *n*)

m) *Teſtâ nobili*] Teſta & Amphora apud ſcriptores antiquos idem fere ſignificant; ſed hic Amphora vaſis menſuram, Teſta verò materiam, ſive coſtas ejus exprimit. Eodem modo Teſtam cum Cado junxit Horatius, *Od.* 14. L. III, v. 18 & 20. Quia tamen vox, *nobili*, titulum aliquem inſignem videtur indicare, quales operculis inſcribebantur, pro, *teſtâ*, legi, *teſto*, forſan poſſet. Cato *de re ruſt.* c. 84. *Catinum teſto operito.*

n) MSS. Codices Pithoeanus & Remenſis habent: *Qualem te bonam.* Sic Pithoeus & alii multi ediderunt.

Antehac fuiſſe, tales cùm ſint reliquiae?
HOC quò pertineat, dicet, qui me noverit.

FABVLA II.

Panthera & Paſtores.

SOLET à deſpectis par referri gratia.
PANTHERA imprudens olim in foveam decidit.
Vidêre agreſtes: alii fuſtes congerunt,
Alii onerant ſaxis: quidam contra miſeriti,
Periturae quippe, quamvis nemo laederet,
Miſêre panem, ut ſuſtineret ſpiritum.
Nox inſecuta eſt: abeunt ſecuri domum,
Quaſi inventuri mortuam poſtridie.
At illa vires ut refecit languidas,
Veloci ſaltu foveâ ſeſe liberat,

Quam lectionem vidi in margine veteris editionis manu Gabrielis Coſſartii emendatam eo modo, quo ipſam exhibemus: & valdè dubito, an tribuenda ſit Marquardo Gudio, ut Hoogſtratanus & Burmannus volunt.

Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis, provolat,
Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
Et cuncta vastans saevit irato impetu.
Tum sibi timentes, qui Ferae pepercerant,
Damnum haud recusant, tantùm pro vitâ rogant.
At illa: Memini, qui me saxo petierit,
Qui panem dederit: Vos timere absistite.
Illis revertor hostis, qui me laeserant.

FABVLA III.

Lanius & Simius.

PENDERE ad Lanium quidam vidit Simium
Inter reliquas merces atque obsonia.
Quaesivit, quidnam saperet. Tum Lanius jocans:
Quale, inquit, caput est, talis praestatur sapor.
RIDICVLE magis hoc dictum quam verè aestimo;
Quando & formosos saepe inveni pessimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

FABVLA IV.

Aeſopus & Petulans.

SVCCESSVS ad perniciem multos devocat.
AESOPO quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto, inquit, melior: o) aſſem deinde illi dedit,
Sic proſecutus: Plus non habeo mehercule;
Sed unde accipere poſſis, monſtrabo tibi.
Venit ecce dives & potens: huic ſimiliter
Impinge lapidem, & dignum accipies praemium.
Perſuaſus ille, fecit quod monitus fuit.
Sed ſpes fefellit impudentem audaciam;
Comprenſus namque poenas perſoluit cruce.

---

o) *Tanto melior*] Formula eſt laudandi; reprehendendi autem, *tanto nequior*. Vide Terentium *Heautont.* Act. 3, Sc. 2, v. 38, & *Adelph.* Act. 4, Sc. I.



FABVLA V.

Muſca & Mula.

MVSCA in temone ſedit, & Mulam increpans:
Quam tarda es, inquit! Non vis citiùs progredi?
Vide ne p) dolone collum compungam tibi.
Reſpondit illa: Verbis non moveor tuis,
Sed iſtum timeo, ſellâ qui primâ ſedens,
Iugum flagello temperat lento meum,
Et lora frenis continet ſpumantibus.
Quapropter aufer frivolam inſolentiam;
Nam ubi ſtrigandum eſt, q) & ubi currendum, ſcio.

---

p) *Vide ne*] Ultimam in, *vide*, ſyllabam pariter corripuit Terentius, *Adelph.* Act. 4, Sc. 2, v. 11. Et Perſius, *Sat.* 1, v. 107.

. . . . . videſis, ne majorum tibi fortè
Limina frigeſcant.

q) *Nam ubi ſtrigandum eſt*] Plinius, *Hiſt.* l. 8, c. 19, ſect. 7. *In arando verſum peragi* (oportet) *nec ſtrigare in actu ſpiritûs.* Id eſt, inquit Harduinus ad hunc locum, *nec requieſcere, aut ceſſare imperfecto ſulci verſu, qui uno veluti ſpiritu agendus eſt.* Similiter Ioſ. Scaliger *comment. ad Catalecta Virgilii*, pag. 240 editionis Lindenbruchianae, *ſtrigare* idem eſſe dicit, ac

HAC derideri fabulâ meritò potest,
Qui sine virtute vanas exercet minas.

FABVLA VI.

Lupus ad Canem.

QVAM dulcis sit libertas, breviter proloquar.
CANI perpasto, macie confectus Lupus
Fortè occurrit: salutantes dein invicem
Ut restiterunt: Unde sic, quaeso, nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?
Ego qui sum longè fortior, pereo fame.
Canis simpliciter: Eadem est conditio tibi,
Praestare domino si par officium potes.
Quod, inquit ille? Custos ut sis liminis,

---

* *interquiescere*, Quod iisdem verbis confirmat Salmasius, tomo I. *Exercitationum in Solinum*, pag. 56 edit. Paris. ubi haec refert ex Parodiâ, quam exemplo Scaligeri Virgilianam vocat:

. . . . . Laeva, sive dexterâ
Strigare Mula, sive utrinque coeperat.

Quorum sensus est: quoties Mula, sive ad laevam, sive ad dexteram, sive ad utramque partem jugata, strigare coeperat.

A furibus tuearis, & noctu, domum.
Ego verò sum paratus: nunc patior nives,
Imbresque, in silvis asperam vitam trahens:
Quanto est facilius mihi sub tecto vivere,
Et otiósum largo satiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit
Lupus à catenâ collum detritum Canis.
Unde hoc, amice? Nihil est. Dic, quaeso, tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quiescam, & vigilem, nox cùm venerit:
Crepusculo solutus, quà visum est, vagor.
Adfertur ultro panis, de mensâ suâ
Dat ossa Dominus, frusta jactat familia,
Et quod fastidit quisque pulmentarium: *r*)
Sic sine labore venter impletur meus.

---

r) *Pulmentarium*] A pulte & pulmento, quod erat placentae genus, facta est vox pulmentarii, & significat obsonium quodcumque, arte paulo exquisitiore conditum. Horatius, *Satyr.* 2, l. 2, v. 20.

. . . . . Tu pulmentaria quaere
Sudando.

Canis ergo dicere intelligendus est: Non tantùm panis, ossa, frusta, sed suaviores etiam cibi, quos quisque satur fastidit, mihi projiciuntur.

Age, ſi quò abire eſt animus, eſt licentia?
Non planè eſt, inquit. Fruere, quae laudas, Canis.
Regnare nolo, liber ut non ſim mihi.

FABVLA VII.

Frater & Soror.

PRAECEPTO s) monitus ſaepe te conſidera.
HABEBAT quidam filiam turpiſſimam,
Idemque inſigni & pulchrâ facie filium.
Hi ſpeculum, in cathedrâ matris ut poſitum fuit, t)
Pueriliter ludentes, fortè inſpexerant.
Hic ſe formoſum jactat; u) illa iraſcitur,
Nec gloriantis ſuſtinet fratris jocos,

s) *Praecepta*] Hoc ſcilicet, ſive hâc fabulâ.

t) *Vt poſitum fuit*] Sic primus, anno 1657, Tanaquillus Faber hunc verſum emendavit, cùm antea, ex MSS. Codicibus, Pithoeano & Remenſi, *ſuppoſitum fuit*, in antiquis Editionibus legeretur: quam emendationem Codex Perotti confirmat.

u) *Hic ſe formoſum jactat*] Ovidius, *Faſt.* l. 1, v. 417.
Faſtus ineſt pulchris, ſequiturque ſuperbia formam.

Accipiens (quid enim? *x*) cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem decurrit, laesura invicem,
Magnâque invidiâ criminatur filium,
Vir natus quòd rem feminarum tetigerit.
Amplexus ille utrumque, & carpens oscula,
Dulcemque in ambos caritatem partiens:
Quotidie, inquit, speculo vos uti volo:
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis:
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

FABVLA VIII.

Socrates ad Amicos.

VVLGARE amici nomen, sed rara est fides.
CVM parvas aedes sibi fundasset Socrates,
(Cujus non fugio mortem, si famam adsequar,
Et cedo invidiae, dummodo absolvar cinis.)

---

x) *Quid enim?*] Horatius, *Sat.* I, l. I, v. 7.
Militia est potior. Quid enim?
& haec ultima verba vetus Interpres, à Cruquio an. 1579 editus, explicat per: *Cur non?* Rectè: nimirùm antiqui Auctores dixerunt, *quid enim?* per contractionem, pro, *quidni enim?*

E populo sic nescio quis, ut fieri solet:
Quaeso, tam angustam talis vir ponis domum?
Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam.

FABVLA IX.

POETA

De credere & non credere.

PERICVLOSVM est credere, & non credere. *y*)
Utriusque exemplum breviter exponam rei.
Hippolytus obiit, quia novercae creditum est:
Cassandrae quià non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda multùm est veritas priùs
Quàm stulta pravè judicet sententia.
Sed fabulosam ne vetustatem eleves,
Narrabo tibi memorià quod factum est meâ.

MARITVS quidam cùm diligeret conjugem,
Togamque puram *z*) jam pararet filio,

Seductus

y) *De credere & non credere*] Locutio est omnino Graeca. Sed Phaedriarum fabularum tituli ab alienâ plerumque manu huc intrusi sunt.

z) *Togamque puram*] Catullus, *carm.* 67, v. 15.

Tem-

Seductus in ſecretum à Liberto eſt ſuo,
Sperante haeredem ſuffici ſe *a*) proximum:
Qui cùm de puero multa mentitus foret,
Et plura de flagitiis caſtae mulieris,
Adjecit id quod ſentiebat maximè

Tempore quo primùm veſtis mihi tradita pura eſt,
Iucundum cùm aetas florida ver ageret.

Veſtis ea vocabatur quoque *Virilis:* pura autem, ut exiſtimant nonnulli, dicta eſt, quia purpuram orae extremae attextam non habebat; vel potiùs, ut alii volunt, ideo quòd ex albâ lanâ confecta eſſet. Subſtituebatur in locum praetextae togae, quae puerorum erat veſtis, usquedum annum decimum ſeptimum attigiſſent.

a) *Suffici ſe*] Sperabat iſte Libertus ſe non ſuffectum iri, ſed ſuffici, vel deſignari in Patroni teſtamento haeredem ſecundum, ita ut, ſi quid filio humanitus accideret, jure ſuffectus in ejus locum cenſeretur. Iam verò quis eſt haeres proximus, niſi qui ſecundo loco ſcriptus eſt? Perſius, *Sat.* 2, v. 12.

. . . Pupillumque utinam, quem proximus haeres
Impello, expungam.

Expungere pariter libertus filium Patroni ſui tentabat, non certò quidem ſciens (id enim plerumque celabatur) at ſperans ſe ſubſtitui. Qui autem haeredes ſecundo loco ſcripti fuerant, hos juris conſulti ſubſtitutos vocabant.

Doliturum amanti, ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domûs.
Incenſus ille falſo uxoris crimine
Simulavit iter ad villam, clamque in oppido
Subſedit: deinde noctu ſubitò januam
Intravit, rectà cubiculum uxoris petens,
In quo dormire mater natum juſſerat,
Aetatem adultam ſervans diligentiùs.
Dum quaerunt lumen, dum concurſant familia,
Irae furentis impetum non ſuſtinens
Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput:
Ut ſentit tonſum, gladio pectus tranſigit,
Nihil reſpiciens, dum dolorem vindicet.
Lucernâ adlatâ, ſimul aſpexit filium,
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quae nil ſomno *c*) ſenſerat;
Repraeſentavit *d*) in ſe poenam facinoris,

---

c) *Primo ſomno*] Virgilius *Aen.* L. 1, v. 474.
. . . . . . primo quae prodita ſomno.
Ad quem locum Servius ſcripſiſſe dicit Virgilium, *Primo ſomno, ut graviorem oſtenderet ſomnum.*

d) *Repraeſentavit*] Senſus eſt: Poenam facinori ſuo de-

Et ferro incubuit, quod credulitas ſtrinxerat.
Accuſatores poſtularunt e) mulierem,
Romamque pertraxerunt ad Centumviros. f)
Maligna inſontem deprimit ſuſpicio, g)
Quòd bona poſſideat: ſtant patroni h) fortiter,

---

bitam anticipavit, & in ſe ipſo praeſentem exhibuit prius quàm lege ageretur. Q. Curtius memorat haec de Alexandro: *Coeperat eſſe praeceps ad repraeſentanda ſupplicia*, id eſt, ad poenas irrogandas celeriùs, quàm jus fasque permitterent. Sed propiùs abeſt à locutione Phaedri hoc Val. Maximi exemplum Lib. 6, c. 5. *Externorum* ſect. ultimâ: *Protinus ferro, quod habebat, ſtricto incubuit; cumque liceret culpam diſſimulare . . . . poenam tamen repraeſentare maluit.*

e) *Poſtularunt*] Id eſt, in jus vocarunt.

f) *Ad Centumviros*] Pomp. Feſtus: *Centumviralia*, inquit, *judicia à Centumviris ſunt dicta. Nam cùm eſſent Romae triginta & quinque Tribus, terni ex ſingulis Tribubus ſunt electi ad judicandum, qui Centumviri appellati ſunt: & licèt quinque ampliùs quàm centum fuerint, tamen, quo faciliùs nominarentur, Centumviri ſunt dicti.*

g) *Deprimit ſuſpicio*] Senſus eſt: Adverſarii cauſam inſontis feminae deprimunt, ſive infirmant, malignè ipſam adducentes in ſuſpicionem ex eo, quòd bona filii & mariti hereditate conſequuta ſit.

h) *Stant patroni*] Pro illâ ſcilicet. *Stare* verbum eſt hîc

Causam tuentes innocentis feminae.
A Divo Augusto tunc petiere judices
Ut adjuvaret juris jurandi fidem, *i*)
Quòd ipsos error implicuisset criminis.
Qui postquàm tenebras dispulit calumniae,
Certumque fontem veritatis reperit:
Luat, inquit, poenas causa Libertus mali:
Namque orbam nato, simul & privatam viro,
Miserandam potiùs quàm damnandam existimo.
Quòd si delata perscrutatus crimina *k*)

---

forense. Horatius *Sat.* 9, L. I, v. 38.
. . . . . . Dispeream, si
Aut valeo stare, aut novi civilia jura.

i) *Iuris jurandi fidem*] Id est, ipsosmet judices adstrictos jure jurando, lites fore à se ex aequo & bono, praescriptisque legum decidendas, si liqueret; sin minùs, se esse non temere judicaturos. Porrò ubi erat obscura causa, utebantur hâc formulâ: *Non liquet*: tum pronuntiabant, *Ampliùs*, hoc est, causa ampliùs examinanda differatur.

k) *Delata crimina*] Passim apud Ciceronem & alios crimina significant criminationes. Ibi autem pro, *damnanda*, quod MSS. Codices, Pithoeanus & Remensis, atque editiones pleraeque exhibent, *delata*, quod offert Perotti codex, recipiendum censui.

Paterfamilias esset, si mendacium
Subtiliter limasset *l*); à radicibus
Non evertisset scelere funesto domum.

NIL spernat auris, nec tamen credat statim.
Quandoquidem & illi peccant, quos minimè putes;
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.

HOC admonere simplices etiam potest,
Opinione alterius ne quid ponderent:
Ambitio namque diffidens mortalium,
Aut gratiae subscribit, aut odio suo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.

HAEC exsecutus sum propterea pluribus,
Brevitate nimiâ quoniam quosdam ostendimus.

---

l) *Limasset*]. Limare, est lima terere: mendacium ergo limatum subtiliter, est mendacium detectum: sic enim limando contingit, ut quale est appareat. Eodem sensu hoc verbum usurpavit Cicero, de *offic.* L. 2, c. 10, *Alia est illa, cùm veritas ipsa limatur, subtilitas; alia cùm ad opinionem communem omnis accommodatur oratio.*

FABVLA X.

Eunuchus ad Improbum.

EVNVCHVS litigabat cum quodam improbo,
Qui super obscena dicta & petulans jurgium
Damnum insectatus est amissi corporis:
En, ait, hoc unum est cur laborem validiùs;
Integritatis testes quia desunt mihi.
Sed quid fortunae, stulte, delictum arguis?
Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

FABVLA XI.

Pullus ad Margaritam.

IN sterquilino *m*) Pullus gallinaceus
Dum quaerit escam, margaritam reperit.

---

m) *In sterquilino*] Petrus Victorius ad cap. 2. Libri Catonis *de re rusticà: In antiquissimo*, inquit, *Codice. Catonis ac Varronis semper Sterlicinum scriptum est.* In Codicibus autem manuscriptis *sterlicinum* idem est ac *sterquilinum.* Potest etiam legi, *In sterculino;* Plautus enim, *Cas.* Act. 1, Sc. 1, v. 26. sic loquitur:

Ex sterculino effosse, tua illaec praeda sit?

Iaces indigno quanta res, inquit, loco!
O ſi quis *n*) pretii cupidus vidiſſet tui!
Olim rediſſes ad ſplendorem priſtinum. *o*)
Ego, qui te inveni, potior cui multò eſt cibus,
Nec tibi prodeſſe, *p*) nec mihi quidquam potes.

HOC illis narro, qui me non intelligunt.

Et *Perſâ*, Act. 3, Sc. 3, v. 3.

Conmictum coenum, ſterculinum publicum.

n) *O ſi quis*] MSS. Codices habent, *hoc ſi quis.* Pro voculâ, *ô*, librarii ſaepe ſcribebant, *oh*, vel etiam, *och:* aliqui ergo, ſibi viſus doctior, facilè repoſuerit, *hoc.*

o) *In ſplendorem priſtinum*] Aptè hîc & propriè dictum; atque hanc lectionem, pro *maximum*, quod habent MSS. Codices Pithoeanus & Remenſis, exhibent, non modò Codex Perotti, ſed & fabula Romuli prima, verbis Phaedritota fere conſtans, ubi legitur edit. an. 1709, curante Friderico Nilant, p. 67: *ad ſplendorem priſtinum decoris tui redires.* In collectione autem Sebaſtiani Brant n. 1501 fab. itidem primâ: *In priſtinum decôris tui ſtatum rediſſes.*

p) *Nec tibi prodeſſe*] Senſus eſt: Ego, qui te invêni; ego, cui cibus multo eſt potior, nec tibi poſſum, nec mihi tu potes prodeſſe quidquam. *Oratio*, inquit Bentleius ad hunc locum, *Soloeca eſt.* Minimè verò: nam ſic ad Atticum ſcribit Cicero, Lib. 14, *Epiſt.* 13. non longè a medo: *Tibi ego poſſum, mihi tu dicere*

FABVLA XII.

Apes, & Fuci, Veſpâ judice.

APES in altâ quercû fecerant favos:
Hos Fuci inertes eſſe dicebant ſuos.
Lis ad forum deducta eſt, Veſpâ judice;
Quae genus utrumque noſſet cùm pulcherrimè,
Legem duabus hanc propoſuit partibus:
Non inconveniens q) corpus, & par eſt color,
In dubium planè res ut meritò venerit:
Sed ne religio peccet imprudens mei,
Alvos r) accipite, & ceris opus infundite,
Ut ex ſapore mellis, & formâ favi,
De quîs nunc agitur, auctor horum appareat.

Neque aliter Plautus, *Aulul.* Act 2, Sc. 1, v. 13. & Terentius, *Heautont.* Act. 1, Sc. 1; v. 101. & Ovidius *Epiſt.* 5, v. 153, 154 loquuntur.

q) *Non inconveniens*] Id eſt, ſatis utrinque ſimile.

r) *Alvos*] Pithoeus in varietate ſcripturae, quam adjecit ſuae editioni, refert hanc manuſcripti Codicis Lectionem, cujus in locum *alveos* male ſubſtituit. *Alves* dixerunt ſemper Varro & Columella, nunquam *alveos*.

Fuci recuſant: Apibus conditio placet.
Tunc illa talem protulit *s*) ſententiam:
Apertum eſt, quis non poſſit, aut quis fecerit.
Quapropter Apibus fructum reſtituo ſuum.
HANC praeteriſſem fabulam ſilentio,
Si pactam Fuci *t*) non recuſaſſent fidem.

FABVLA XIII.

Aeſopus Ludens.

PVERORVM in turbâ quidam ludentem Atticus
Aeſopum nucibus cùm vidiſſet, reſtitit,

---

s) *Protulit*] Hanc lectionem, quam exhibet Codex Nic. Perotti manuſcriptus, cum recentioribus Criticis recepimus; & verbum *ſuſtulit*, cujus exempla ad ſignificandum, quod hic vult Phaedrus, ſatis idonea reperiri huc usque nulla potuerunt, rejecimus.

t) *Fuci*] Per Fucos hic intelligi poſſunt quidam Nebulones, qui ſcripta Phaedri pro ſuis venditarent. Unde colligere licet, ipſum, agente Sejano male jam mulctatum, caviſſe ne, ſi quid ſcriberet, vulgaretur; aut ſi cum amicis, quae ſcripſiſſet, communicaret, interceſſiſſe, ut nomen ipſius celaretur. Hanc porrò fures, alienae laudis appetetentes, facilè arripuerint commodam doli mali commoliendi opportunitatem.

Et quaſi delirum riſit. Quod ſenſit ſimul
Deriſor potiùs, quàm deridendus ſenex,
Arcum retenſum poſuit in mediâ viâ.
Heus, inquit, Sapiens, expedi quìd fecerim. *u*)
Concurrit populus: ille ſe torquet diu,
Nec quaeſtionis poſitae *x*) cauſam intelligit:
Noviſſimè ſuccumbit. Tum victor Sophus:
Citò rumpes arcum, ſemper ſi tenſum habueris;
At ſi laxâris, cùm voles, erit utilis.
Sic luſus animo debent aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

---

u) *Quid fecerim*] Id eſt, quare fecerim id quod vides. Terentius, *Eunuch.* Act. 2, Sc. 2, v. 59.

Miror quìd ex Piraeo abierit.

x) *Quaeſtionis poſitae*] Graevius ad Cicer. Lib. I ad *Famil. Epiſt.* 26 haec obſervat: *Ponere quaeſtionem Cicero dixit frequenter pro, proponere quaeſtionem.*

FABVLA XIV.

Canis ad Agnum.

INTER capellas Agno bàlanti y) Canis:
Stulte, inquit, erras; non eſt hìc mater tua; z)
Ovesque ſegregatas oſtendit procul.
Non illam quaero, quae, cùm libitum eſt, concipit,
Dein portat onus ignotum certis menſibus,
Noviſſimè prolapſam effundit ſarcinam:
Verùm illam, quae me nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne deſit mihi.
Tamen illa eſt potior, quae te peperit. Non ita eſt.
Unde illa ſcivit, niger, an albus naſcerer?
Age porrò ſciſſet: cùm crearer maſculus,

---

y) *Balanti*] Id eſt, balatibus nutricem petenti.

z) *Non eſt hic mater tua*] Habent, *non eſt haec*, MSS. Codices, Pithoeanus & Remenſis, editionesque plurimae Sed apud barbarum Phaedri expilatorem Romulum, qui ſaepe verba ſui Auctoris exhibet, fab. 23 legitur: *Non eſt tua mater hic.* Et ſenſum etiam vocula *hic* planiorem efficit. Hanc itaque Lectionem, quam fere omnes Critici recentiores approbarunt, libenter admiſi.

Beneficium *a*) magnum sanè natali dedit,
Ut expectarem lanium in horas singulas.
Cujus potestas nulla in gignendo fuit,
Cur hàc sit potior, quae jacentis miserita est,
Dulcemque sponte praestat benevolentiam?
Facit parentes bonitas, non necessitas. *b*)

His demonstrare voluit auctor versibus,
Obsistere homines legibus, meritis capi. *c*)

---

a) *Beneficium*] Quatuor primae syllabae breves in hoc versu, quemadmodùm supra fab. 2, v. 4 & L. 4, f. 23, v. 17, duas longas quantitate non superare censentur: quod videre frequenter licet apud Plautum, Terentium & Pub. Syrum.

b) *Necessitas*] Naturae scilicet: vitae enim perinde ac mortis parens necessitas. Seneca, *de consolat.* ad Helviam, cap. 6. *Omnia*, inquit, *volvuntur, ut lex & naturae necessitas ordinavit.*

c) *Meritis capi*] Naturae quidem lex à liberis amari jubet parentes; at ostendere vult Phaedrus, homines & huic & ceteris ejusmodi legibus, quae jus in affectus humanos habent, saepius repugnare, si absine beneficia, quibus excitetur amor atque concilietur.

FABVLA XV.

Cicada, & Noctua.

HVMANITATI *d*) qui ſe non accommodat,
Plerumque poenas oppetit ſuperbiae.
CICADA acerbum Noctuae convicium
Faciebat, ſolitae victum in tenebris quaerere,
Cavoque ramo *e*) capere ſomnum interdiu.
Rogata eſt, ut taceret. Multo validiùs
Clamare coepit. Rurſus admotâ prece,
Accenſa magis eſt. Noctua ut vidit ſibi
Nullum eſſe auxilium, & verba contemni ſua,
Hâc eſt adgreſſa garrulam fallaciâ:
Dormire quia me non ſinunt cantus tui,
Sonare citharâ *f*) quos putes Apollinis,

---

d) *Humanitati*] Huic ſe accommodare idem eſt, ac fingere ſe ad vitae civilis officia, vel ſervare id, quod Cicero, *orat. pro Flacco*, cap. II, *Ius communis humanitatis* vocat.

e) *Cavoque ramo*] Vetuſtarum arborum ſaepe ê trunco in ramos paulo ſpiſſiores continuatur cavatio, hoſpitiumque Noctuis ac Bubonibus commodum praebet.

f) *Sonare citharâ*] Nihil mutandum eſt. Sonare cantus

Potare eſt animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit: ſi non faſtidis, veni;
Unà bibamus. Illa, quae ardebat ſiti,
Simul cognovit vocem laudari ſuam,
Cupidè advolavit. Noctua egreſſa è cavo
Trepidantem conſectata eſt, & leto dedit.
Sic viva quod negarat, tribuit mortua.

FABVLA XVI.

Arbores in Deorum tutelâ.

OLIM, quas vellent eſſe in tutelâ ſuâ, g)
Divi legerunt arbores. Quercus Iovi,

---

rectè hic dicuntur; quoniam concentum mundi ſonare dixit Cicero, *Somn. Scip.* c. 6. quoniam apud T. Livium, L. 36, c. 34. conſonat clamor; & apud Ovidium, *Amor.* L. 2, Eleg. 6, v. 5. Carmina reſonant. Hoc itaque dicere voluit Phaedrus: quia cantus tui, quos putes, id eſt, quos quivis putet ſonare citharâ, vel reddi à citharâ ipſius Apollinis, non ſinunt &c.

g) Nicol. Perottus in Cornucopiâ, ſive in Martialem Commentario, ad has L. 1, Epigr. 77 voces, *Palladis arbor*, hanc ipſam Phaedri Fabulam pro ſuâ venditare non erubuit: neque eam diſſinxit, niſi quòd verſus

Et myrtus Veneri *h*) placuit, Phoebo laurea,
Pinus Cybebae, *i*) populus celſa Herculi.
Minerva admirans: quare ſteriles ſumerent,
Interrogavit: cauſam dixit Iupiter:
Honorem fructu ne videamur vendere.

---

tertium, quartum, octavum, & nonum paulo aliter, ac Phaedrus, compoſuit, ultimumque planè omiſit.

h) *Et myrtus Veneri*] Virgilius, *Ecl.* 7, v. 61.

Populus Alcidae gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſae myrtus Veneri, ſua laurea Phoebo.

i) *Pinus Cybebae*] Haec eſt lectio MSS. Codicum optima, pro quâ Pithoeus, Rittershuſius, Meurſius, Rigaltius & Faber, *Cybele*, vel *Cybelae*, malè ediderunt. Virgilius, *Aen.* L. 10, v. 220.

. . . . . . Nymphae, quas alma Cybebe
Numen habere maris, Nymphasque è navibus eſſe
Iuſſerat, innabant pariter fluctusque ſecabant.

Ita legitur in optimo omnium Codice MSS. Florentino, & in editionibus Nic. Heinſii, Henrici Iuſtice, atque aliis quibusque emendatiſſimis: nec aliter legebat Servius, cujus ad hunc locum verba illa ſunt: *Cybebe autem bacchius eſt; Cybele anapaeſtus.* Miror pro *Cybebe*, edidiſſe Maſvicium, *Cybele*, cùm hanc vocem neceſſariò emendare debuiſſet; quippe quam dicit ipſe Servius eſſe bacchium, id eſt, pedem brevi ſyllabâ primâ, longisque duabus ceteris conſtantem.

At mehercules *k*) narrabit, quod quis voluerit,
Oliva *l*) nobis propter fructum est gratior.
Tum sic Deorum genitor atque hominum sator:
O nata, meritò sapiens dicêre omnibus:
Nisi utile *m*) est, quod facimus; stulta est gloria.

NIHIL agere, quod non prosit, fabella admonet.

FA-

---

k) *Mehercules*] Nihil significantius, quam *certè*, ea vox exprimit. Sunt, quibus videtur non satis prudenter hic dici Minerva jurare per Herculem: sed & Mercurius apud Plautum, *Amphit.* Act. 3, Sc. 4, v. 3 per Herculem, necdum natum, jurans introducitur.

l) *Oliva*] Idem est ac olea. Virgil. *Ecl.* 8, v. 16.

Incumbens tereti Damon sic coepit olivae.

Et *Aen.* L. 8, v. 116.

Paciferaeque manu ramum protendit olivae.

m) *Nisi utile*] Gruterus, in corpore inscriptionum, edit. an. 1707, pag. 898. *Albae Iuliae* (Weissemburgi in Transylvania) *visitur Lapis, cujus hoc epigraphe geminae defunctorum superadditur effigiei:*

NISI UTILE EST QUOD FACIMUS STULTA EST GLORIA.

Et ad haec Gudius adjecit quae sequuntur: *Exstitisse adhuc nostro tempore in ea urbe lapidem illum cum tali*

epi-

FABVLA XVII.

Pavo ad Iunonem.

Pavo ad Iunonem vênit, indignè ferens,
Cantus luſcinii quòd ſibi non tribuerit:
Illum eſſe cunctis auribus admirabilem;
Se´derideri, ſimul ac vocem miſerit.
Tunc conſolandi gratiâ, dixit Dea:
Sed formâ vincis, vincis magnitudine;
Nitor ſmaragdi collo praefulget tuo,
Pictiſque plumis gemmeam caudam explicas.
Quò mî, inquit, mutam ſpeciem, *n*) ſi vincor ſono?

---

epigraphe teſtatur Io. Troſterus, Lib. 4, *cap.* 31. *Daciae novantiquae, Noribergae anno* 1666 *in* 12 *editae. Eſt autem verſus iambus ſenarius Phaedri fabulatoris L.* 3, *f.* 17. *Opitius etiam hunc lapidem vidit.*

n) *Quò, mi, inquit, mutam ſpeciem*] Senſus eſt, ad quid, ad quam rem ſors dedit mihi mutam ſpeciem? Virgilius, *Ecl.* 6. v. 24.

Ille dolum ridens: Quò vincula nectitis, inquit?

Et ad hunc locum Servius: *Quò, ad quam rem.* Pierius autem: *Quò, ad quid.* At eodem modo, ac Phaedrus, dixit Horatius L. 1, *Epiſt.* 5, v. 12.

Quò mihi fortunam, ſi non conceditur uti?

Et Seneca *de tranquillitate animi*, cap. 9, medio: *Quò*

Fatorum arbitrio partes ſunt vobis datae:
Tibi forma, vires aquilae, luſcinio melos,
Augurium corvo; laeva cornici omina:
Omnesque propriis ſunt contentae dotibus. *o*)
Noli adfectare, quod tibi non eſt datum,
Deluſa ne ſpes ad querelam recidat. *p*)

FABVLA XVIII.

Aeſopus reſpondens Garrulo.

Aesopvs domino ſolus cùm eſſet familia, *q*)
Parare coenam juſſus eſt maturiùs.

---

mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quorum dominus vix tota vita ſua indices perlegit?

o) *Dotibus*] Ita legitur in Codice Perotti: quam lectionem, pro, *vocibus*, quod habent Codices Pith. & Remenſis, recipiendam eſſe putavimus.

p) Senſus eſt: Ne, poſtquàm agnoveris deluſam eſſe tuam ſpem, ad querelam, ſive ad vanam querendi conditionem redigaris.

q) *Solus cùm eſſet familia*] Pompeius Feſtus: *Famuli*, inquit, *origo ab Oſcis dependet, apud quos ſervus ſamel nominabatur: unde & familia vocata.* Romani veteres ex *famel* fecerunt *famul*, deinde *famulus*, & *familia*.

Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit domos;
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet,
Tum circumeunti fuerat quod iter longius,
Effecit brevius: namque rectà per forum
Coepit redire; & quidam è turba garrulus:
Aesope, medio sole, r) quid cum lumine?

Sed quo pacto servus unus vocari potest familia? Ulpianus, *Digest.* L. 50, Tit. 16 *de verbor. significatione*, Lege 40: *Unicus*, inquit, *servus familiae appellatione non continetur: ne duo quidem servi familiam faciunt.* Et Cicero, Orat. pro *Caecinâ*, cap. 19: *Quid facilius est, quàm probari iis, qui latinè sciant, in uno servulo familiae nomen non valere?* Id est, unum servulum non posse familae nomine significari. Dicitque paulo post, dubium non esse, *quin unus homo familia non sit.* At capite proximè sequenti, haec adjicit: *Tam restitues, si unus servulus, quàm si familia dejecerit universa: non quò idem sit servulus unus, quod familia; verùm quia non quibus verbis quidque dicatur, quaeritur; Sed quae res agatur.* Unus ergo servus pro familiâ accipi potest, non verbo quidem, sed re, ubi servus unus officiis familiae universis defungitur. Rectè ergo, atque etiam lepidè & urbanè Aesopum dicit Phaedrus solum domino suo familiam fuisse, id est, in ejus fuisse domo servis pluribus non imparem.

r) *Medio sole*] Sol medius idem est, quod media dies,

Hominem quaero, inquit; & abit feſtinans domum.


Hoc ſi moleſtus ille ad animum retulit,
Senſit profectò, ſe hominem non viſum ſeni,
Intempeſtivè qui occupato adluſerit. s)

---

unde *medidies* primùm, ac deinde *meridies* factum eſt.

s) *Adluſerit*] Id eſt, jocando obſtiterit.





LIBER QVARTVS.

FABVLA I. *a*)

Asinus & Galli.

QVI natus est infelix, non vitam modò
Tristem decurrit, verùm post obitum quoque

a) Ab hâc fabulâ librum quartum ordiuntur & MSS. Codices & editio Pithoeana. Qui Phaedrum posthac ediderunt, omnes, excepto Gabriele Brotier, eam ad finem libri praecedentis, indictâ causâ rejecerunt. Hoc pacto Prologum quidem exhibent, sed tam inexspectatum, tamque abruptè incipientem, ut mancum hunc esse quidam Critici judicaverint. Nihil ibi deest: at verba haec, *Ioculare tibi videtur*, aliquid, quod praecesserit, reposcunt: porrò illud ipsum est, quod fabulâ de Asino & Gallis continetur; hanc enim jo-

Perſequitur illum dura fati miſeria.
GALLI Cybebes *b*) circum in quaeſtus *c*) ducere
Aſinum ſolebant bajulantem ſarcinas.
Is cùm labore & plagis eſſet mortuus,
Detractâ pelle ſibi fecerunt tympana.
Rogati mox à quodam, delicio ſuo
Quidnam feciſſent, *d*) hoc locuti ſunt modo:

---

cularem & ludicram eſſe, nemo non videt: ſic igitur aptè cohaerent omnia atque connectuntur.

b) *Galli Cybebes*] Docuit me epiſtola ſcripta Remis anno 1665, & miſſa Pariſios ad Franciſcum Vavaſſorem, in Codice Remenſi, non *Galli Cybeles*, ut Pithoeus & alii multi ediderunt, at *Galli Cybebes*, diſertim legi. Vide praeterea, quae jam ad Lib. 3, fab. 17, v. 4 obſervavimus.

c) *Circùm in quaeſtus*] Id eſt, ut quaeſtus fierent. MSS. Codices & editiones permultae habent, *circùm quaeſtus:* ſed quaeſtum, pro loco, ubi fit quaeſtus, dici latinè poſſe, vix puto: legere ergo cum Heinſio & Gudio malui *circùm in quaeſtus ducere:* quippe vocula *in* abſorberi inter ſcribendum & exteri facilè potuerit propter literam *m*, quae proximè antecedit.

d) *Delicio ſuo quidnam feciſſent*] Martialis, Lib I, *Epigr.* 8.

Stellae delicium mei, Columba.

Aſinus pariter vocatur delicium in *Copâ*, poematio

Putabat ſe poſt mortem ſecurum fore,
Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.

POETA.

IOCVLARE *e*) tibi videtur: & ſanè levi,
Dum nihil habemus majus, calamo ludimus.
Sed diligenter intuere has naenias:
Quantam ſub illis utilitatem reperies?
Non ſemper ea ſunt quae videntur: decipit
Frons prima multos: rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura *f*) angulo.
Hoc ne locutus ſine mercede exiſtimer,
Fabellam adjiciam de muſtelâ & muribus.

---

inter Virgilii Catalecta non ignobili, editionis Lindenbruchianae pag. 94.

Parce illi: veſtrum delicium eſt Aſinus.

Phaedrus autem praepoſitionem *de* rectè ſuppreſſit, ut ſaepe fit apud Ciceronem: pariter Terentius, *Andr.* Act. 4, Sc. 2, v, 26. *Quid me fiet?* & *Heaut.* Act. 2, Sc. 3, v. 76. *Quid illo facias?*

e) *Iocularc*] Hoc videlicet, quod modò narratum eſt.

f) *Condidit cura*] Id eſt, induſtria noſtra collocavit interiùs, & quibusdam quaſi involucris obtexit.

FABVLA II.

Mustela & Mures.

MVSTELA cùm, annis & senectâ debilis,
Mures veloces non valeret adsequi,
Involvit se farinâ, & obscuro loco
Abjecit negligenter. Mus escam putans
Adsiluit, & compressus occubuit neci:
Alter similiter: deinde periit tertius.
Aliquot secutis, vênit & retorridus, *g*)
Qui saepe laqueos & muscipula effugerat, *h*)

---

g) *Vênit & retorridus*] Ex suo Codice MSS. Pithoeus edidit, *rete territus:* anno autem 1617 Rigaltius correxit absurdam hanc lectionem, & *retorridus* in ejus locum substituit, Remensis Codicis auctoritati obsequutus. Retorridus autem idem fere est, quod senio detritus, atque idcirco prudens intelligi potest. Sic apud Aulum Gellium homines *retorridi* memorantur Lib. 15, cap. 30, quos Oizellius ad hunc locum, *in senium vergentes* vocat; suamque interpretationem hoc ipso Phaedri nostri exemplo confirmat.

h) *Muscipula effugerat*] De muscipulis, à voce *muscipulum* derivandis, ad Editionem fabularum nostrarum Manhemiensem L. I, fab. 17. satis fusè disseruimus.

Proculque inſidias cernens hoſtis callidi:
Sic valeas, inquit, ut farina es, quae jaces.

FABVLA III.

Vulpis & Uva.

FAME coacta Vulpis altâ in vineâ *i*)
Uvam adpetebat, ſummis ſaliens viribus:
Quam tangere ut non potuit, diſcedens ait:
Nondum matura eſt: nolo acerbam ſumere.
QVI, facere quae non poſſunt, verbis elevant,
Adſcribere hoc debebunt exemplum ſibi.

---

i) *Altâ in vineâ*] Id eſt, in loco vitibus jugatis conſito. Varro *de re ruſt.* L. I, c. 8. *Vineae*, inquit, *ſunt multae ſpecies: aliae enim humiles, ac ſine ridicis* (gallicè, ſans echalas) *ut in Hiſpaniâ; aliae ſublimes, quae appellantur jugatae, ut pleraeque in Italiâ.*

FABVLA IV.

Equus & Aper.

EQUUS ſedare ſolitus quo fuerat ſitim,
Dum ſeſe Aper volutat, turbavit vadum. *k*)
Hinc orta lis eſt. Sonipes iratus Fero,
Auxilium petiit hominis, quem dorſo levans
Rediit ad hoſtem. Jactis hunc telis eques
Poſtquàm interfecit, ſic locutus traditur:
Laetor, tuliſſe auxilium me precibus tuis:
Nam praedam cepi, & didici quàm ſis utilis.
Atque ita coëgit frenos invitum pati.
Tum moeſtus ille: Parvae vindictam rei
Dum quaero demens, ſervitutem reperi.
HAEC iracundos admonebit fabula,
Impune potius *kk*) laedi, quàm dedi alteri.

---

k) *Turbavit vadum*] Cujus aqua ſcilicet brevis erat & exigua, ita ut lutum ab imo tollere ac diſſipare volutando ſe Aper facilè poſſet.

kk) *Potius*] Id eſt, melius eſſe laedi impune.

FABVLA V.

Aeſopus teſtamenti interpres.

PLVS eſſe in uno ſaepe, quàm in turbâ, boni, *l*)
Narratione poſteris tradam brevi.
QVIDAM decedens tres reliquit filias,
Unam formoſam, & oculis venantem viros; *m*)
At alteram lanificam, & frugi ruſticam; *n*)
Devotam vino tertiam, & turpiſſimam.
Harum autem matrem fecit heredem ſenex
Sub conditione, totam ut fortunam tribus
Aequaliter diſtribuat, ſed tali modo,

---

l) *Boni*] Id eſt, utilitatis.

m) *Oculis venantem viros*] Eodem modo Horatius, L. I, *Epiſt.* I, v, 77.

Sunt qui
Cruſtis & pomis viduas venentur avaras.

n) *Et frugi ruſticam*] Id eſt, & utilem & bonam ruſticam. Cicero, *Tuſcul.* L. 3, c. 8 docet, *frugi homines* eſſe non modò utiles, ſed & bonos. Hoogſtratanus, Burmannus, Bentleius & alii multi,

At alteram lanificam frugi, & ruſticam
ediderunt, contemptâ MSS. Codicum lectione, quam retinuimus.

Ne data possideant aut fruantur; tum simul
Habere res desierint, quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.
Athenas rumor implet; mater sedula
Iurisperitos consulit: nemo expedit,
Quo pacto non possideant *o*) quod fuerit datum,
Fructumve capiant; deinde, quae tulerint nihil,
Quânam ratione conferant pecuniam.
Postquàm consumpta est temporis longi mora,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem advocavit, *p*) jure neglecto, parens:

---

o) *Quo pacto non possideant &c.*] Sensus est: nullus explicare jurisperitus potest, quomodò possit fieri, ut quod datum fuerit ex testamento, id neque possideant, neque fructum ex eo capiant: at neque possidebunt, neque fruentur, si statim alienaverint, & illud est, quod voluerat pater. Item quâ ratione eventurum sit, ut quae nihil proprium consequutae hereditate fuerint, matri pecuniam conferant: at conferre poterunt, si bonis, quae hereditate venerint, divenditis pecuniam conficiant.

p) *Fidem advocavit*] Id est, patronam sibi esse bonam fidem voluit, sive ex aequo bonoque agere decrevit.

Seponit moechae veſtem, mundum muliebrem, *q*)
Lavationem argenteam, *r*) eunuchos, glabros:
Lanificae agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, jumenta, & inſtrumentum ruſticum:
Potrici plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam, *s*) & delicatos hortulos. *t*)

---

q) *Veſtem, mundum muliebrem*] Veſtis hic ſignificat vim omnem veſtium, ſive arcam veſtiariam. Cicero in *Antonium Orat.* I, c. 27. *Pretioſa veſtis, multa & lauta ſupellex.* In hoc autem verſu Phaedrus licentiâ, quam admittere in metro maximam ſenarii poſſunt, uſus eſt: nam ſi tertiam vocis *muliebrem* velis ſyllabam producere, hexametrum habebis.

r) *Lavationem argenteam*] Hic intellige, non balneum ipſum, ut quidam volunt, quippe quod pretio facultates, de quibus in teſtamento agitur, ſuperaret: ſed pelvim balneariam.

s) *Domum politam*] Id eſt, omni apparatu idoneo inſtructam. Varro apud Nonium, Lib. 9, cap. 339. *In coenaculo polito recipiuntur.* Tum ipſe Nonius: *Polita, omnia dicimus exculta & ad nitorem deducta.*

t) *Delicatos hortulos*] Ita Cicero, *ad Atticum*, Lib. 2, *Epiſt.* 8, fontem quemdam *delicatum* vocat. Sic etiam Lib. 7, *Epigr.* 16 Martialis:

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector urbem.

Sic destinata dare cùm vellet singulis,
Et adprobaret populus, qui illas noverat,
Aesopus mediâ subitò in turbâ constitit:
O si maneret condito *u*) sensus patri,
Quàm graviter ferret, quòd voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici!
Rogatus deinde, solvit errorem omnium.
Domum, & ornamenta, cum venustis hortulis,
Et vina vetera date lanificae rusticae:
Vestem, uniones, pedisequos, *x*) & cetera
Illi adsignate, vitam quae luxu trahit:

---

u) *Condito*] Id est, sepulto. Cicero, *de Legibus* L. 2, c. 22 ad haec verba Ennii de Scipione mortuo: *Hic est ille situs: Verè*, inquit, *nam siti dicuntur ii, qui conditi sunt.*

x) *Pedisequos*] Terentius, *Andr.* Act. 1, Sc. 1, v. 95.

Quia erat formâ praeter ceteras
Honestâ & liberali, accedo ad pedisequas.

Plautus, *Aulul.* Act. 4, Sc. 5, v. 27.

Ancillas, mulos, muliones, pedisequos.

Atque Pareus in suo Lexico: *Ubivis*, inquit, *in manuscriptis membranis unico sibilo* (id est, literâ *s* unica) *scribitur haec dictio . . . & Romae in marmore:* Q. ARTORIUS ANTIOCHUS PRISCUS PEDISEQ. VIXIT ANN. XX.

Agros, vites, & pecora cum paſtoribus
Donate moechae. Nulla poterit perpeti,
Ut moribus quid teneat alienum ſuis.
Deformis cultum vendet, ut vinum petat; *y*)

---

y) *Ut vinum petat*] MSS. Codices, vetereſque editiones habent, *ut vinum paret.* Admittere hanc lectionem non auſus fui, ne offenderem Criticos recentiores, qui fere uno conſenſu ipſam rejecerunt, ut alteram, à Gronovio propoſitam, in ejus locum ſubſtituerent: quod niſi facerent, hic & ſubſequens verſus eodem vocabulo clauderentur, & aures peritorum, ut aiunt, inſuavi ſono laederent. Verùm tamen in hoc ipſo Terentii loco, quem paulo ante citavimus, duo verſus, pariter contigui, pariter eâdem clauſulâ inſtructi leguntur:

Quia tum mihi lamentari praeter ceteras
Viſa eſt; & quia erat formâ praeter ceteras
Honeſtâ & liberali, accedo ad pediſequas.

Neque ullus eâ de cauſâ Criticus emendare Terentium huc uſque tentavit. Denique ſi Phaedrus, aut quivis alius ſcripſiſſet, *ut paret vinum*, *ut paret ornatum*, nemo reprehenderet; Horatius enim, L. 2, *Sat.* 3, v. 215 dixit:

Paret ancillas, paret aurum.

Quare ergo, *ancillas paret*, *aurum paret:* vel: *vinum paret*, *ornatum paret*, ſcribi impunè non poſſit? Haec paulo attentiùs conſideranda Criticis relinquo.

Agros abiiciet moecha, ut ornatum *z*) paret.
At illa gaudens pecore, & lanae dedita,
Quâcumque ſummâ tradet luxuriae domum:
Sic nulla poſſidebit, quod fuerit datum;
Et dictam matri conferent pecuniam
Ex pretio rerum, quas vendiderint ſingulae.
ITA, quod multorum fûgit imprudentiam,
Unius hominis reperit ſolertia.

FABVLA VI.

Pugna Murium, & Muſtelarum.

CVM victi Mures Muſtelarum exercitu
(Hiſtoria quorum *a*) in tabernis pingitur)
Fugerent, & artos circùm trepidarent cavos,
Aegre recepti, tamen evaſerunt necem.

Duces

---

z) *Ornatum*] Illud ipſum intellige, quod poeta verſu proximè ſuperiori cultum, et verſu 21 mundum muliebrem vocat.

a) *Hiſtoria quorum*] Hic, quemadmodum ſaepe apud optimos poetas, litera *m* non eliditur.

Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conſpicuum in proelio
Haberent ſignum, quod ſequerentur milites,
Haeſere in portis, ſuntque capti ab hoſtibus,
Quos, immolatos victor avidis dentibus,
Capacis alvi merſit tartareo ſpecu. *b*)

QVEMCVMQVE populum triſtis eventus premit,
Periclitatur magnitudo principum,
Minuta plebes *c*) facili praeſidio latet.

---

b) *Tartareo ſpecu*] Poeta rem tenuem non ſeriò verbis hic magnificis exaggerat; totusque locus ad captandum riſum confictus eſt. Satis autem mirari vix poſſum id, quod in collectione operum Nicolai Boileau Deſprèaux, tomo 4to edit. Paris. 1747 in 8vo, notâ ad Longini cap. 2, pag. 228, obſervatur; Phaedrum ſcilicet in illo verſu eo magis rediculè peccaſſe, quo longiùs à ſuo ipſe genere ſcribendi receſſerit, cùm ſit amator ac ſingularis auctor egregiae ſimplicitatis. Quis enim leviter attendens, non ſtatim videat, hanc eſſe jocularem ejus atque urbanam feſtivitatem, quam ſtilus etiam ſimplex ferre aliquando poſſit?

c) *Plebes*] Idem eſt quod plebs; ac reperitur apud Lucanum L. VII, v. 160, & apud Hirtium, *de bello Alexandrino*, cap. 5, atque apud alios.

FABVLA VII.

Phaedrus.

Tv qui, naſute, *d*) ſcripta deſtringis mea,
Et hoc jocorum legere faſtidis genus,
Parvâ libellum ſuſtine patientiâ,
Severitatem frontis dum placo tuae,
Et in cothurnis prodit Aeſopus novis. *e*)
UTINAM nec unquam Pelii nemoris *f*) jugo

---

d) *Naſute*] Martialis, Lib. 13, *Epigr.* 2 ad ſuarum, quas ipſe vocat, nugarum contemptorem:

Naſutus ſis, usque licet, ſis denique naſus.

e) *Novis*] Id eſt, ſibi inuſitatis.

f) *Pelii nemoris*] In utroque MSS. Codice & in multis editionibus legitur, *Pelei;* quae prava lectio Porturegienſem interpretem tam miſerè feſellit, ut verteret, *La foreſt de Pelée;* cùm dicere debuiſſet: *La foreſt du mont Pelion.* Theſſaliae mons eſt Pelion; crebra in eo pinus fuit, ex quâ navis Argo fabricata perhibetur. Catullus, *carm.* 65, v. 1.

Peliaco quondam prognatae in vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nâſſe per undas
Phaſidos ad fluctus & fines Aeetaeos.

Ovidius, *Faſt.* L. 5, v. 381.

Pelion Aemoniae mons eſt obverſus in auſtros:
Summa virent pinu; cetera quercus habet.

Pinus bipenni concidiſſet Theſſalâ,
Nec ad profeſſae g) mortis audacem viam
Fabricaſſet Argus opere h) Palladio ratem,
Inhoſpitalis prima quae Ponti i) ſinus

Ennius autem in Medeâ Euripidis, quam ex graecâ latinam fecerat, eodem fere modo, ac Phaedrus, his verbis, apud Ciceronem, *Invent. Rhetor.* L. I, c. 49 loquitur:

Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Caeſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes!

g) *Profeſſae*] Id eſt, apertae. Sic Ovidius, *amor.* L. III, *Eleg.* 14, v. 6.

Solaque famoſam culpa profeſſa facit.

Et Seneca, *Medeae* Act. 2, Sc. 1, v. 153.

Ira, quae tegitur, nocet:
Profeſſa produnt odia vindictae locum.

h) *Argus opere Palladio*] Id eſt, Pallade ipſâ dirigente Argum, Danai filium, navis Argo fabricatorem.

i) *Inhoſpitalis Ponti*] Pontus & regionis & maris vicini nomen eſt; quod quidem nomen deinde ad ſignificandum mare quodcumque uſurpatum eſt. Hic Pontum, qui Thraciam & Moeſiam inferiorem interlabitur, duobusque Boſphoris, Thracio & Cimmerio, finitur, intellige. Rectè vocatur inhoſpitalis: nam propter feritatem barbarorum hominum, qui littora ejus incolebant, dictus olim fuit Axenus; neque Euxinus appellari coepit, niſi poſtquàm in his regionibus ce-

Patefecit, in perniciem Grajûm & Barbarûm! *k*)
Namque & superbi luget Aeetae domus,
Et regna Peliae scelere Medeae jacent,
Quae, saevum ingenium variis involvens *l*) modis,
Illîc per artus fratris explicuit fugam,
Hîc caede patris Peliadum infecit manus.

QVID tibi videtur? Hoc quoque insulsum est, ais,
Falsoque dictum; longè quia vetustior
Aegea Minos classe perdomuit freta,
Iustoque vindicavit exemplo *m*) impetum. *n*)

---

lebrata est Hospitalitas. Ovidius, *Trist.* L. 4, Eleg. 4, v. 55.

Frigida me cohibent Euxini littora Ponti:
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

k) *Graiûm & Barbarûm*] In perniciem Graiorum; nam Peliae regna in Thessaliâ scelere Medeae eversa jacent; & Barbarorum; nam Aeetes, Colchorum rex, Absyrtum filium occisum, Medeam filiam profugam, aureumque vellus sublatum luget.

l) *Involvens*] Id est, dissimulans, ut faciliùs saevire posset.

m) *Exemplo*] Terentius, *Phorm.* Act. 4, Sc. 4, v. 6.

Ut te quidem omnes Dî Deaeque, superi & inferi
Malis exemplis perdant!

Quid ergo poſſum facere tibi, lector Cato, *o*)
Si nec fabellae te juvant, nec fabulae? *p*)
Noli moleſtus eſſe omnino literis, *q*)
Majorem exhibeant ne tibi moleſtiam.
Hoc illis dictum eſt, qui ſtulti etiam nauſeant *r*)
Et, ut putentur ſapere, coelum vituperant.

Et ad *Eunuch.* Act. 5, Sc. 5, v. 4 Donatus:
Graves, inquit, *poenae*, *quae poſſunt ceteris documento eſſe*, *exempla dicuntur:*

n) *Impetum*] Ea vox incurſionem ſignificat praedonum, qui piraticam exercebant.

o) *Lector Cato*] Id eſt, ſevere cenſor. Sic & cujusdam cenſoriam ſeveritatem irridet Martialis L. 1, *Epigr.* 1.
Cur in theatrum, Cato ſevere, veniſti?
An ideo tantùm veneras, ut exires?

p) *Fabulae*] Fabulas hìc Phaedrus vocat hiſtorias fabulares, quae Tragoediarum argumenta plerumque ſuppeditabant: fabellae autem ſunt apologi.

q) *Literis*] Id eſt, literatis, ſive Muſarum alumnis,

r) *Qui ſtulti etiam nauſeant*] Id eſt, qui ſtulti cùm ſint, faſtidioſi etiam ſunt; gallicè, *qui ſont ſots, & ſont encore les dégoutés.* Ita Terentius, *Eunuc.* Act. 5, Sc. 2, v. 21.
. . . . . Monſtrum etiam ultro deriſum advenit.
Et *Phorm.* Act. 4, Sc. 3, v. 64.
. . . Impuratus me ille ut etiam irrideat?

FABVLA VIII.

Vipera & Lima.

MORDACIOREM qui improbo dente adpetit,
Hoc argumento ſe deſcribi ſentiat.
IN officinam fabri vênit Vipera.
Haec cùm tentaret, ſi qua res eſſet cibi, *s*)
Limam momordit: illa contra contumax: *t*)

In primâ Phaedri editione, quae Auguſtobonae Tricaſſium, ſive Trecis, anno 1596 prodiit, legitur: *ſi qui ſtultitiam nauſeant:* quod per oſcitantiam Pithoei, vel potiùs typographi, factum fuerit: nam Iſac. Nic. Neveletus, anno 1610, ad fidem Pithoeani Codicis edidit: *Qui ſtultitiam nauſeant:* nec aliter Conradus Rittershuſius anno jam 1598 ediderat; at in ſuis notis propoſuerat legendum: *qui ſtultitiâ nauſeant.* Quae conjectura Criticis deinde non paucis proba viſa eſt. Denique anno 1617. Rigaltius ex ſuo ingenio, *ſi qui ſtulti nauſeant*, edidit; & hanc lectionem ab eo tempore omnes fere editiones exhibent. Iam verò judicet peritus lector, an rectè pro, *ſtultitiam*, quod habet Pithoeanus Codex, *ſtulti etiam*, reponendum eſſe crediderim.

s) *Si qua res cibi*] Pro, ſi quis cibus: locutio eſt ad linguae graecae normam ordinata.

t) *Illa contumax*] Id eſt, obſiſtens pertinaciter. Mar-

Quid me, inquit, ſtulta, dente captas laedere, *u*)
Omne adſuevi ferrum quae corrodere?

tialis, L. IX, *Epigr.* 12 pariter inducit ſyllabam verſui conficiendo repugnantem; eamque contumacem vocat. Sed quamvis nullum inveniretur exemplum, quo res inanimatas rectè dici poſſe contumaces oſtenderetur; hic tamen dubitandum non eſſet, quin Lima bene latinè dicta fuiſſet contumax; quippe quae perſonam ſuſtineat, & ſe proinde contumacem, aeque ac loquacem, exhibere poſſit.

u) *Captas laedere*] Sic infra L. V, f. 3, v. 2.

Quam opprimere captans alapam ſibi duxit gravem. Ubi, *captas*, pro, *conaris*; *captans*, pro, *quaerens*, adhibetur. Similiter Quintilianus, *Declamatione* II, cap. 14. *Quid quòd hoc ipſum tam quietè facit, quaſi capret imponere?* Et Columella, Lib. VIII, cap. 11 de pavonum educatione loquens: *Sed nec haec tamen aliena eſt agricolae, captantis undique voluptates, acquirere, quibus ſolitudines ruris eblandiantur.*



FABVLA IX.

Vulpis & Hircus.

HOMO, in periclum ſimul ac vênit, càllidus,
Reperire effugium quaerit alterius malo.
CVM decidiſſet Vulpis in puteum inſcia,
Et altiore clauderetur margine,
Devênit Hircus ſitiens in eundem locum:
Simul rogavit, eſſet an dulcis liquor
Et copioſus. Illa fraudem moliens:
Deſcende, amice, tanta bonitas eſt aquae,
Voluptas ut ſatiari non poſſit mea.
Immiſit ſe Barbatus. Tum Vulpecula
Evaſit puteo, nixa celſis cornibus:
Hircumque clauſo liquit haerentem vado. *x*)

---

x) *Haerentem vado*] Rectè, contra quàm Burmannus exiſtimare viſus eſt, fundum putei vadum appellatur: ibi enim niſi breves, ut in vadis plerumqae ſit, aquae fuiſſent, & Hircus & Vulpis debuiſſent ſuffocari.

FABVLA X.

De vitiis hominum.

PERAS imposuit Iupiter nobis duas: *y*)
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re *z*) videre nostra mala non possumus:
Alii simul delinquunt, *a*) censores sumus.

---

y) *Peras duas*] Duos sacculos, sive illud ipsum, quod Petronius, c. 31 *bisaccium* vocat. Multi porrò antiqui scriptores ad hoc idem argumentum alluserunt; inter quos Catullus, *carm.* 22, v. 20.

Suus cuique attributus est error:
Sed non videmus, manticae quod in tergo est.

Horatius, L. 2, *Sat.* 3, v. 299.

Respicere ignoto discet pendentia tergo.

Seneca, *de irâ*, L. 2, c. 28. *Aliena vitia in oculis habemus; à tergo nostra sunt.*

z) *Hâc re*] Id est, idcirco. Cicero *ad Famil.* L. IX, *Epist.* I. *Metuit, & eâ re fugit.*

a) *Delinquunt*] Cicero, *Offic.* L. I, c. 41. *Fit enim nescio quo modo, ut magis in aliis cernamus, quàm in nobismet ipsis, si quid delinquitur.*

FABVLA XI.

Fur & Lucerna.

LVCERNAM fur accendit ex arâ Iovis,
Ipſumque compilavit ad lumen ſuum.
Onuſtus ſacrilegio cùm diſcederet,
Repentè vocem ſancta miſit Religio:
Malorum quamvis iſta fuerint munera,
Mihique inviſa, ut non offendar ſubripi,
Tamen, ſceleſte, ſpiritu culpam lues,
Olim cùm adſcriptus venerit poenae dies.
Sed ne ignis noſter facinori praeluceat,
Per quem verendos excolit Pietas Deos,
Veto eſſe tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flammâ Deûm, b)
Nec de lucernâ fas eſt accendi ſacrum. c)
QVOT res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius, d) quàm qui reperit.

b) *De flammâ Deûm*] Id eſt, de flammâ in aris Deorum excitatâ.

c) *Sacrum*] Id eſt, ſacrificiorum ignem.

d) *Non explicabit alius*] Senſus eſt: Quoniam reperi fa-

Significat primò ſaepe, quos ipſe alueris,
Tibi inveniri maximè contrarios.
Secundò oſtendit, ſcelera non irâ Deûm,
Fatorum dicto ſed puniri tempore.
Noviſſimè interdicit, ne cnm malefico
Uſum bonus conſociet ullius rei.

FABVLA XII.

Malas eſſe divitias.

Hercules & Plutus.

Opes inviſae *e*) meritò ſunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.

---

bulae hujus argumentum, mihi exſpectandum non eſt, dum ipſe lector explicet, quot res utiles contineat. Verba Phaedri benignè, ut decet, interpretor; ea tamen, fateor, habere videntur quamdam oſtentationem, quae quidem an tali ejus invento ſatis excuſari poſſit, judicandum acutae naris hominibus relinquo.

e) *Opes inviſae*] Contra hanc ſententiam ſic argumentatur Meurſius: *non rectè philoſopharis, Phaedri: odiſſe opes non eſt viri fortis: erras profecto, ut & in lemmate, quo malas eſſe contendis. Audi veram vocem: non divitiae malae ſunt, ſed mali, qui illis male utuntur.*

Caelo receptus propter virtutem Hercules,
Cùm gratulantes perſalutaſſet Deos,
Veniente Pluto, qui Fortunae eſt filius,
Avertit oculos. Cauſam quaeſivit Pater.
Odi, inquit, illum, quia malis amicus eſt,
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.

FABVLA XIII.

Leo regnans.

Vtilivs homini nihil eſt, quàm rectè loqui.
Probanda cunctis eſt quidem ſententia:
Sed ad perniciem ſolet agi ſinceritas.
Cvm ſe ferarum Regem feciſſet Leo,

At reſpondere poſſet Phaedrus, ſi reviviſceret: cùm opes fere nunquam appetantur, niſi ab iis, quibus nociturae ſunt; eas profectò reſpuere vel etiam odiſſe viri fortis eſt. Deinde malas eſſe divitias non ego hîc affirmo; iſte enim, ut & alii plerique mearum fabellarum tituli non meae, ſed alienae & incognitae ſunt manûs. Quamvis tamen id affirmaſſem, haud me poeniteret: pro jure enim meo ac more noſtrorum Auctorum pervulgato feciſſem, quòd malas appellaſſem divitias, quae malos homines efficere ſolent. -

Et aequitatis vellet famam consequi,
A pristinâ deflexit consuetudine,
Atque inter illas tenui contentus cibo,
Sancta incorruptâ jura reddebat fide:
At mox *f*) labare coepit poenitentiâ;
Saevamque demum ad indolem revertitur,
Quam tamen adhibitâ corrigit fallaciâ.
Ori admovere nasum sibi Vulpem jubet,
Et experiri, quid oleat. Merum herculè
Olfeci, ait illa, balsamum, ambrosiam meram.
Tum Leo: Pudendis assentationibus
Violare verum qui non erubescerent,
Numinibus hos vovi immolandos inferis
Dixit; prehensamque laceravit unguibus.
Conversus inde ad Simium, eadem, quae priùs,
Imperat. Is autem doctior visus sibi
Exemplo factus alieno, teterrimum
Mitti fatetur ab ejus ore spiritum.
Ad haec Leo graves fronte caperatâ notas

---

f) In MSS. Codicibus legitur:
Postquam lavare coepit poenitentiâ.

Severitatis exhibens: Regem tuum
Sic tu vereris, inquit! ipſum deſpicis!
Ipſi innocentis vitia naturae exprobras!
At. morte meritâ tale commiſſum lues.
Simulque miſerum faucibus eliſis necat.
Ita, quod gula appetebat, improbitas dedit.

FABVLA XIV.

Capellae & Hirci. g)

BARBAM Capellae cùm impetraſſent ab Iove,
Hirci moerentes indignari coeperant,
Quòd dignitatem feminae aequaſſent ſuam.
Sinite, inquit, illas gloriâ vanâ frui,
Et uſurpare veſtri ornatum muneris, *h*)
Pares dum non ſint veſtrae fortitudinis.
HOC argumentum monet, ut ſuſtineas tibi
Habitu eſſe ſimiles, qui ſunt virtute impares.

---

g) Hanc fabellam poſſis non ineptè forſan interpretari de Capellis & Hircis bipedibus, Tiberio gratioſis ac inter ſe dominatum affectantibus.

h) *Veſtri muneris*] Id eſt, veſtrae dignitatis.

FABVLA XV.

Gubernator & Nautae.

CùM de fortunis quidam quereretur ſuis,
Aeſopus finxit conſolandi gratiâ.

VEXATA ſaevis navis tempeſtatibus,
Inter vectorum lacrymas & mortis metum,
Faciem ad ſerenam ſubitò mutato die,
Ferri ſecundis tuta coepit flatibus,
Nimiâque nautas hilaritate extollere.
Factus periclo tum gubernator ſophus:
Parcè gaudere oportet, & ſenſim i) queri;
Totam quia vitam miſcet dolor & gaudium.

---

i) *Senſim*] Id eſt, non ſtatim, ſed cautè & prudenter.

FABVLA XVI.

Canum legati ad Iovem. k)

CANES legatos olim misere ad Iovem,
Meliora vitae l) tempora oratum suae,

Ut

k) Franciscus Hare in Epistolâ criticâ de Bentleii notis ad Phaedrum: *Argumentum*, inquit, *hujus fabulae tam invenustum ac spurcum est, ut totam à Phaedro libenter abjudicarem.* Nobis verò nedum severior animadversio illa videatur, vix possumus adduci, ut tantam istam tamque ineptam foeditatem ab ingenio Phaedri, venusto & eleganti, profectam esse concedamus. Hanc ergo non attingemus, nisi levi & invitâ plerumque manu.

l) *Meliora vitae*] In utroque Codice, Pithoeano & Remensi, legitur:

Melioris vitae tempus oratum suae.

Sed melioris vitae tempus, quid est aliud, nisi tempus vitae olim felicioris? Si Auctor dicere hoc voluit, non satis rectè commentus est: si noluit, ineptè scripsit. Eam tamen lectionem omnes, quas viderim, si Parisiensem, Gabrielis Brotier curâ adornatam, exceperis, editiones admiserunt: Bentleius tamen, Heinsii conjecturam sequutus, edidit:

Meliora vitae tempora oratum sibi.

Nos

Ut sese eriperet hominum contumeliis,
Furfuribus sibi conspersum quòd panem darent,
Fimoque turpi maximam explerent famem.
Profecti sunt legati non celeri pede,
Dum naribus scrutantur escam in stercore.
Citati non respondent: *m*) vix tandem invenit
Eos Mercurius, & turbatos adtrahit.
Tum verò vultum magni ut viderunt Iovis,
Totam timentes concacarunt Regiam.
Propulsi verò fustibus, vadunt foras:
Vetat dimitti magnus illos Iupiter.
Mirati *n*) sibi legatos non revertier,
Turpe aestimantes aliquid commissum a suis,

Nos emendationem, quam Ursinus jam olim proposuerat, ultro recepimus; & quòd idem fecerit Gabriel Brotier, id verò nos in sententiâ nostrâ confirmavit.

m) *Citati non respondent*] Citatus aliquis, rectè & latinè dicitur non respondere, si coram adesse renuerit: at quomodò Canes renuere id potuerunt, cùm eos Mercurius nondum citaverit? Sequitur enim: *vix tandem invenit eos Mercurius.*

n) *Mirati*] Quinam? Illos subintellige Canes, qui Legatos miserant.

(Rumor legatos ſuperiores prodidit;)
Poſt aliquod tempus alios adſcribi jubent.
Timentes rurſus aliquid ne ſimile accidat,
Odore canibus anum, ſed multo, *o*) replent:
Mandata dant. Legati mittuntur: ſtatim
Adeunt: rogantes aditum, continuò impetrant.
Conſedit genitor tum Deorum maximus,
Quaſſatque fulmen: tremere coepere omnia:
Canes, confuſus ſubitò quòd fuerat fragor,
Repentè odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes vindicandam injuriam.
Sic eſt locutus ante poenam Iupiter:
Legatos non eſt Regis *p*) non dimittere,
Nec eſt difficile poenas culpae imponere:
Non veto dimitti, verùm cruciari fame,
Ne ventrem continere non poſſint ſuum.

---

o) *Odore ſed multo*] Sic apud Plautum, *Rudent.* Act. 3, Sc. 5, v. 20. Dicit aliquis: *affer huc duas clavas, ſed probas.*

p) *Non eſt Regis*] Id eſt, non decet Regem.

Et hoc feretis *q*) pro judicio praemium. *r*)
Illi autem, *s*) qui miſerunt vos tam futiles,
Nunquam carebunt hominis contumeliâ.
Ita nunc legatos expectant *t*) & poſteri:
Novumque *u*) venire qui videt, culum olfacit.

---

q) *Et hoc feretis*] Hîc voculam *&*, pro *ſed*, repoſuimus, ut iſta perturbata oratio aliquantulùm illuſtraretur. Sermo autem convertitur ad Legatos.

r) *Pro judicio praemium*] Id eſt, poenam, pro graviore ſupplicio, quo vos oporteret affici, ſi judicium ſeverum inſtitueretur. Auctorem verò bonum latinitatis ſic eſſe unquam loquutum, vix puto.

s) *Illi autem*] Quid? Illi ſoli, qui miſerunt, non etiam qui miſſi ſunt, hâc poenâ afficientur? Atque paulò ſupra cur legati potiùs, quàm alii, jubentur cruciari fame? Nonne fames, quae canina vocatur, ad Canum genus univerſum pertinet?

t) *Legatos expectant*] Quâ vero de cauſâ expectari finguntur, cùm eos Iupiter, verſu 30 *dimitti*, & ad ſuos reverti non vetuerit?

u) *Novumque &c.*] *Quòd ſi*, inquit Franciſcus Hare, *hujus poſtremi verſûs gratiâ totam hanc foedam fabulam confinxit Phaedrus, otium ſuum vix ineptiùs collocare potuit.*

FABVLA XVII.

Homo & Colubra.

Qvi fert malis auxilium, post tempus x) dolet.
Gelv rigentem quidam Colubram sustulit,
Sinuque fovit contra se ipse misericors.
Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc alia cùm rogaret y) causam facinoris,
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

---

x) *Post tempus*] Subaudi, quoddam. Quintilianus, *Instit. Orator.* L. 11, c. 2. „ Cùm in loca aliqua post tempus reversi sumus. „

y) *Hanc alia cùm rogaret*] Sensus est: cùm ab ipsâ causam quaereret alia Colubra, cur id fecisset, respondit: feci, ne quis ex hujusce viri boni exemplo disceret improbis benefacere. *Verum*, inquit Burmannus ad hunc locum, *an Colubra contra se sententiam pronuntiaret, & se ipsa improbam vocaret? non sit mihi vero simile, nec Phaedri ingenio convenire puto.* Ille ergo suspicatur, Poetam ipsum hìc ab aliquo interrogatum respondere; & hunc putat locum sic esse emendandum:

Hìc aliquis cùm rogaret causam facinoris,
Respondi: Ne quis discat prodesse improbis.

At istud est, aut ego fallor, ultra modum philosophari: nam praeterquàm quòd homines aliquando sunt

FABVLA XVIII.

Vulpis & Draco.

In Avarum.

VVLPIS cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altiùs cuniculos, z)

ita perversi, ut sibi à bonis benefieri nolint; non rarò etiam contingit, ut improbi & malefici non modò tales se esse ultro profiteantur, sed & glorientur: illam ergo stultam perversitatem responsioni Colubrae Phaedrus rectè affingere potuit. Quod autem docet, malis non bene esse faciendum, idem longè ante ipsum docuerat Ennius, quem Cicero, *Offic.* L. 2, c. 18, tanquam praeclarè locutum, laudat dicentem:

Benefacta male locata malefacta arbitror.

Tam illiberalem philosophiam ferebat eorum temporum conditio: at illam doctrinam omnem obruit disciplinae christianae sublimitas, quâ jubemur benefacere non solùm bonis, sed iis etiam, qui nos malè & injustè persequuntur.

z) *Agit cuniculos*] T. Livius, L. 5, c. 19, *cuniculus in arcem agi coeptus.* Porrò ex eo, quòd Cuniculus antrum, in quo habitet, effodiat, Cuniculum pro fossâ subterraneâ dictum fuisse vulgò creditur: quod etiam videtur credidisse Martialis, cùm dicat, L. 13, *Epigr.* 60,

Gaudet in effossis habitare Cuniculus antris:
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

At petere hostem per cuniculos nôrant certè Romani,

Pervênit ad Draconis ſpeluncam ultimam, *a*)
Cuſtodiebat *b*) qui theſauros abditos.
Hunc ſimul aſpexit; Oro, ut imprudentiae

cùm vox, *Cuniculus*, orta eſt in Hiſpaniâ. Etenim Varro *de re ruſt.* L. III, c. 12. *Tertii*, inquit, *generis eſt, quod in Hiſpaniâ naſcitur, ſimile noſtro Lepori ex quâdam parte, ſed humile: quem Cuniculum appellant* . . *Cuniculi dicti ab eo quòd ſub terrâ cuniculos ipſi facere ſolebant, ubi lateant in agris.* Sed itidem falluntur, qui inde colligunt, vocem, *Cuniculus*, eſſe origine Hiſpanienſem: nam Cuniculi à Romanis, Hiſpaniam colentibus, ſic appellati ſunt: quos quidem in Hiſpaniâ ipſâ & in Balearibus inſulis indigenae *Leberidas* nominabant: deinde verò, praevalente ſenſim Romanâ linguâ, Hiſpani aequè ac Romani, Cuniculos vocitarunt. Hinc Plinius, *Hiſt.* L. VIII, c. 55. Leporum, inquit, generis ſunt, quos Hiſpania *Cuniculos* appellat. Vide non minùs doctum, quàm rarum, Bernardi Aldreti librum, Romae an. 1606 in 4to editum, quem ille inſcripſit: *Origen de la lengua Caſtellana*, Lib. I, cap. 17, pag. 108.

a) *Speluncam ultimam*] Id eſt, extremam, ſive ſpeluncae extremitatem. Ita Terentius, *Phorm.* Act. I, Sc. 4, v. 38.

Sed quis eſt ſenex hic, quem plateâ video in
ultimâ?

b) *Cuſtodiebat*] Pomp. Feſtus: *Dracones*, inquit, *dicti ἀπὸ τȣ͂ δρακεῖν, quod eſt, videre: clariſſimam enim*

Des primùm veniam; deinde, ſi pulchrè vides,
Quàm non conveniens aurum ſit vitae meae,
Reſpondeas clementer: Quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum eſt praemium,
Ut careas ſomno & aevum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille: verùm hoc à ſummo mihi
Iove adtributum eſt. Ergo nec ſumis tibi,
Nec ulli donas quidquam? Sic Fatis placet.
Nolo iraſcaris, liberè ſi dixero:
Dîs eſt iratis natus, qui eſt ſimilis tibi.

ABITVRVS illùc, quò priores abierunt, *c*)
Quid mente caecâ miſerum torques ſpiritum?
Tibi dico, avare, gaudium heredis tui,
Qui ture *d*) Superos, ipſum te fraudas cibo;

---

dicuntur habere oculorum aciem: quâ ex cauſâ incubantes eos theſauris, cuſtodiae cauſâ, finxerunt Antiqui.

c) *Quò priores abierunt*] Plautus, *Caſin. Prologi* v. 19 in eumdem ſenſum, & penultimâ ſyllabâ pariter correptâ, dixit:

Qui nunc abierunt hinc in communem locum.

Locus enim communis ille eſt ipſe, quem Phaedrus intelligit. Priores autem ii ſunt, qui ab aliis majores appellantur.

d) *Ture*] Flav. Soſipater Chariſius, *Inſtitut. grammati-*

Qui triſtis audis muſicum citharae ſonum;
Quem tibiarum macerat *e*) jucunditas;
Opſoniorum pretia cui gemitum exprimunt;
Qui dum quadrantes aggeras *f*) patrimonio,
Coelum fatigas *g*) ſordido perjurio;

---

car. L. I, columnâ 58, editionis Putſchianae: *Tus*, inquit, *à tundendo ſine aſpiratione dicitur.* Neque aliter hanc vocem in pervetuſto Virgilii Codice Florentino ſcriptam invenies.

e) *Macerat*] Id eſt, adfligit, vel emaciat. Terentius, *Andr.* Act. 5, Sc. 3, v. 15.

Sed quid ago? cur me excrucio? cur me macero?

Lucretius, L. III, v. 75.

Macerat invidia.

f) *Dum aggeras*] Virgilius, *Aen.* L. III, v. 63.

Aggeritur tumulo tellus.

Neque ſcribendum eſt, *adgeras*, quemadmodùm Burmannus & alii ediderunt, contra auctoritatem exemplarium veterum. Atque Eutyches grammaticus, libro ſecundo, monet ex aggerendi verbo factum fuiſſe nomen aggeris; quod & diſertè docent, libellis de Orthographia, Agroetius & Caſſiodorus.

g) *Coelum fatigas*] *Quomodò*, inquit ad hunc locum, in majore ſuo commentario, Burmannus, *perjurio noſtro fatigare poſſimus Coelum, non facile videtur explicatu ... ſordidum etiam perjurium negotium faceſſit.* At perju-

Qui circumcidis *h*) omnem impenſam funeris, 25
Libitina *i*) ne quid de tuo faciat lucri.

---

rio fatigare Coelum eo modo Avarus dicitur, quo Iuno apud Virgilium *Aen.* L. I, v. 284.

Quae mare nunc terrasque metu Coelumque fatigat.

Ad quem verſum Servius: *fatigat verò*, inquit, *pro exercet*, *ſollicitat*, *commovet*. Coelum ergo Avarus, non pro ſe quidem, ut Iuno, ſed contra ſe commovet; ac proinde fatigare dici latinè poteſt. Neque quòd perjurium Avari ſordidum vocatur, major ea eſt difficultas: omnis enim ſordida cenſetur agendi ratio hujus hominis, qui ſit ipſe ſordidus: ratio igitur, ad quam Avarus pejerando confugit, ſordida poteſt vocari; ac proinde perjurium ipſius dici quoque ſordidum poteſt. Agendi rationem hujuscemodi Cicero, *Offic.* L. 2, c. 6. *ſordidam* pariter, immo *ſordidiſſimam & inquinatiſſimam* vocat.

h) *Qui circumcidis*] Senſus eſt: qui tuo etiam in teſtamento impenſam omnem, tuis exſequiis debitam, circumcidendo & abradendo minuere conaris, ne Libitinarii de tuâ pecuniâ reportent aliquid lucri.

i) *Libitina*] Horatius, L. II, *Sat.* 6, v. 19.

Autumnusque gravis, Libitinae quaeſtus acerbae.

Ubi Libitina pariter quaeſtum ſive lucrum facere dicitur, ſed ita, ut pro Libitinariis accipienda ſit.

PHAEDRVS.

QVID judicare cogitet Livor modò,
Licèt diſſimulet, pulchrè tamen intelligo.
Quidquid putabit eſſe dignum memoriae
Aeſopi dicet: ſi quid minùs adriſerit,
A me contendet fictum quovis pignore. *k*)
Quem volo refelli jam nunc reſponſo meo:
Sive hoc ineptum, ſive laudandum eſt opus, *l*)
Invênit ille, noſtra perfecit manus.
Sed exſequamur coeptum propoſiti ordinem.

---

k) *Quovis pignore*] Ita Catullus, carm. 45, v. 4. Quovis Sabinum pignore eſſe contendunt.

l) *Hoc opus*] Id eſt, hoc ſcribendi genus.

FABVLA XIX.

De Simonide.

Homo doctus in ſe ſemper divitias habet.
Simonides, qui ſcripſit egregium melos, *m*)
Quo paupertatem ſuſtineret faciliùs,
Circumire coepit urbes Aſiae nobiles,
Mercede acceptâ *n*) laudem victorum canens.
Hoc genere quaeſtûs poſtquàm locuples factus eſt,

---

m) *Scripſit egregium melos*] Unde Melicus cognominatus eſt: quod &. indicat Plinius, *Hiſt.* L. VII, c. 24. Varia, praeter hoc carmen lyricum, poemata ſcripſerat: eorum quae ſuperſunt, collegit Fulvius Urſinus, & cum aliis aliorum carminibus Antverpiae anno 1568 excudi curavit formis Plantini elegantiſſimis. Natus eſt autem in Ceâ inſulâ Simonides, Piſiſtrati, Athenienſium tyranni, temporibus, annis ante Chriſtum circiter CCCCCLVIII. Cùmque eſſet prope nonagenarius, mortuus eſt Syracuſis apud Hieronem regem, qui acciverat ipſum, & ſibi multis beneficiis devinxerat.

n) *Mercede acceptâ*] Rectè quidem, pro eo, quod diceremus gallicè, *ſe faiſant payer d'avance:* & ſic omnes fere Interpretes hunc locum intelligunt, propter avaritiam, quâ laboraſſe dicitur: attamen, ſi verum eſt, quod ipſe Phaedrus fabulâ ſeq. XXII, de eodem narrat,

Venire in patriam voluit cursu pelagio: *o*)
(Erat autem natus, ut aiunt, in Ceâ insulâ)
Ascendit navem, quam tempestas horrida
Simul & vetustas medio dissolvit mari.
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitae: quidam curiosior:
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. *p*) Tunc pauci enatant,

---

mercedem ejusmodi praeviam non semper accipiebat.

o) *Voluit cursu pelagio*] Immo necesse id fuit; quoniam Cea pelago circumclausa petebatur. Sed verba Auctoris nostri paulo benigniùs explicanda sunt: & quamvìs cursus pelagius nihil aliud, quàm navigationem, significare videatur, hìc tamen accipiendus est pro peregrinatione sive circuitione maritimâ. Intellige itaque, voluisse Simonidem, quemadmodùm Urbes Asiae minoris, à mari remotas, circumierat, sic maritimas pariter circumeundo in Patriam tandem devenire.

p) *Mecum mea sunt cuncta*] Hanc sententiam Cicero, *Paradoxo* I, cap. I, tribuit Bianti, uni ex septem Graeciae Sapientibus. Quae quidem sententia non esse hominis avari, qualem fuisse ferunt Simonidem nostrum, fortasse videbitur. Sed ille, quantumvìs pe-

Quia plures onere degravati perierant. q)
Praedones adsunt; rapiunt, quod quisque extulit;
Nudos relinquunt. Forte Clazomenae r) prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.

---

cuniae cupidus fuerit, sapiens tamen habitus est, & effata ejus praeclara passim memorantur: neque omnes avari ita suâ cupiditate excoecantur, ut amorem vel conservandae vitae, vel famae etiam propagandae praeferendum huic esse aliquando non judicent.

q) *Perierant*] Burmannus conjecturas quorundam inanes & exemplum Hoogstratani sequutus reposuit, *perierunt*; atque in suâ editione ultimâ: *Non video*, inquit, *quare, perierunt, debeat mutari*. Si credidit hanc fuisse veterem lectionem, falsus est: legitur enim, *perierant*, in Codicibus manuscriptis & in plerisque editionibus.

r) *Clazomenae*] Ioniae urbs, in peninsulâ ad mare Aegaeum. Pomponius Mela, Lib. I, cap. 19. *Super angustias* (peninsulae) *hinc Teos, illinc Clazomenae*. Legitur in veteribus Melae editionibus, *Clazomena*; at rectè à Pintiano restitutum est, *Clazomenae*. Horatius, L. I, *Sat.* 7, v. 4.

> Persius hic permagna negotia dives habebat
> Clazomenis.

Cicero, *Tuscul.* L. I, c. 43. *Praeclarè Anaxagoras, qui cùm Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis, vellet ne Clazomenas in patriam, si quid ei accidisset, auferri: Nihil necesse est, inquit; undique enim ad inferos tantumdem viae est.*

Hìc literarum quidam ſtudio deditus,
Simonidis qui ſaepe verſus legerat,
Eratque abſentis admirator maximus,
Sermone ab ipſo s) cognitum cupidiſſimè
Ad ſe recepit; veſte, nummis, familiâ t)
Hominem exornavit. Ceteri tabulam ſuam u)
Portant, rogantes victum. Quos caſu obvius
Simonides, ut vidit: Dixi, inquit, x) mea
Mecum eſſe cuncta? Vos quod rapuiſtis, y) perît. z)

---

s) *Sermone ab ipſo*] Hoc vult Phaedrus: Simonidem, qui antea ſcriptis innotuerat, nunc ſe, qualis eſſet, ipſo ſermone oſtendere.

t) *Familiâ*] Id eſt, juſtâ famulorum copiâ.

u) *Tabulam ſuam*] Solebant naufragi tabulam, in quâ ſaevitiam maris, fractam navem, ſeipſos enatantes depingi curaviſſent, portare ſecum, & circumferre ſtipem rogantes.

x) *Dixi, inquit &c.*] Haec a Simonide interrogando meliùs & elegantiùs dicta mihi viſa ſunt. Terentius, *Eunuc.* Act. 5, Sc. 9.

Dixin' ego in hoc ineſſe vobis Atticam elegantiam? Atque fortè Phaedrus non, *dixi*, *inquit*, ſcripſerit: ſed, *dixin'*, *ait*.

y) *Quod rapuiſtis*] Id eſt, quod eripuiſtis è naufragio.

z) *Perit*] Pro *periit*, quod poetis familiare eſt.

FABVLA XX.

Mons parturiens.

MONS parturîbat, a) gemitus immanes ciens,
Eratque in terris b) maxima expectatio:
At ille murem peperit. Hoc ſcriptum eſt tibi,
Qui magna cùm minaris, c) extricas d) nihil.

FABVLA XXI.

Formica & Muſca.

FORMICA & Muſca contendebant acriter,
Quae pluris eſſet. e) Muſca ſic coepit prior:

---

a) *Parturibat*] Pro, *parturiebat*. Hoc notum eſt atque uſitatius, quàm ut exemplis confirmari debeat.

b) *In terris*] Id eſt, inter homines, qui terras circumjacentes incolebant.

c) *Minaris*] Horatius, L. II, *Sat.* 3, v. 9.
Atqui vultus erat multa & praeclara minantis.

d) *Extricas*] Id eſt, depromis.

e) *Quae pluris eſſet*] Id eſt, utra pluris eſſet aeſtimanda. Vide Lib. I, fab. 24, v. 8. Sic Virgilius, *Aen.* L. XII, v. 126, de Rutulis & Romanis:
Quos generos vocet?
Sic & Lucanus de Caeſare & Pompeio:
Quis juſtius induit arma?

Conferre noſtris tu potes te laudibus?
Ubi immolatur, exta praeguſto Deûm, *f*)
Moror inter aras, templa perluſtro omnia,
In capite regis ſedeo, cùm viſum eſt mihi,
Et matronarum caſta delibo oſcula:
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor. *g*)
Quid horum ſimile tibi contingit, ruſtica?
Eſt glorioſus *h*) ſanè convictus Deûm,
Sed illi, qui invitatur, non qui inviſus eſt.
Aras frequentas; *i*) nempe abigeris, quo venis.

Reges

f) *Exta praeguſto Deûm*] Senſus eſt: ubi immolantur victimae, partem viſcerum illam ipſam, quae Deorum eſt, ſive quae infertur altaribus, praeguſto. Mactatis pecudibus, ſi viderentur exta felicia, pars offerenda Diis, pars ſacrificulis veſcenda reſervabatur.

g) *Optimis rebus fruor*] Corn. Nepos de Pomponio Attico, in ejus vitâ, cap. 13. *Bene habitavit, omnibusque optimis rebus uſus eſt.*

h) *Eſt glorioſus*] Ibi reſpondet formica, eſſe quidem glorioſum cum Diis convivere.

i) *Aras frequentas*] Hujus & ſequentium quinque verſuum facta eſt à Criticis turbida & infelix, opinor, tranſpoſitio contra MSS. Codicum auctoritatem. Primus annó 1596 turbavit ipſe Pithoeus, invitâ ſui exemplaris lectione; ediditque tali ordine: 1 Reges com-

memo-

Reges commemoras & matronarum oſcula.
Super etiam jactas, *k*) tegere quod debet pudor.
Nihil laboras: ideo cùm opus eſt nil habes.
Ego granum in hiemem cùm ſtudioſè congero;
Te circa murum video paſci ſtercore.
Aeſtate me laceſſis, cùm bruma eſt, ſiles:

---


memoras. 2 Ego granum. 3 Te circa. 4 Aras frequentas. 5 Nihil laboras. 6 Superba jactas. Hunc ſequuti ſunt Rittershuſius; Rigaltius in 2â ac 3â ſuâ editione; Faber, Schefferus, Hoogſtratanus, Burmannus & alii permulti. Bentleius ab iſtis paulo diverſus abiit, nec minùs longè à vetere ſcripturâ receſſit. Nos illorum omnium conjecturas, nullo rationum pondere ſuffultas, manuſcriptorum exemplarium auctoritati neutiquam eſſe anteferendas judicavimus; & ſex illos verſus in eum revocavimus ordinem, quo fideliter exſcriptos editiones Rigaltii prima, atque Hanovienſis, & Neveletana ipſos repraeſentant. Immo, ut hoc modo diſponerentur, poſtulare videbatur ipſa orationis connexio: ſic enim quaecumque Muſca jactavit, ſuo quaeque ordine à Formicâ refutantur. Idem ſenſiſſe mecum ſpero Gabrielem Brotier, quoniam hos verſus eodem, ac ego, curavit ordine diſponi.

k) *Super etiam jactas*] De verſu, à ſyllabis quatuor brevibus initium metri ducente, vide quae obſervavi ad Lib. III, fab. 14, v. 12. Hanc porrò lectionem optimam, quam exemplar & Pithoeanum & Remenſe, & ipſe

Mori contractam cùm te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus.
Satis profectò retudi superbiam.
FABELLA talis hominum discernit notas l)
Eorum, qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

Perotti Codex exhibent, recipere non dubitavi pro *superba jactas*, quod Pithoeus ex merâ conjecturâ primus edidit. Hic *super* idem est, quod *insuper*. Scripsit Terentius, *Eunuc.* Act. 5, Sc. 7, v. 13. *Insuper etiam* & *Adelph.* Act. 2, Sc. 2, v. 38. *Etiam insuper.* Virgilius autem, *Aen.* L. II, v. 71. *Et super ipsi Dardanidae*, ac L. XI, v. 226. *Ecce super.* Notatque Servius ad utrumque locum, *super* à Virgilio dictum fuisse pro *insuper.*

l) *Discernit notas*] Curius ad Ciceronem, L. VII ad *familiar. Epist.* 29. *Nos de meliore notâ.* Et ad hunc locum Paul. Manutius: *Translatio*, inquit, *à doliis, quibus diversae inuruntur notae, ut internoscantur vina.*



FABVLA XXII.

Simonides à Diis servatus.

QVANTVM valerent inter homines literae,
Dixi superiùs: *m*) quantus nunc illis honos
A Superis sit tributus, tradam memoriae.
SIMONIDES idem ille de quo retuli,
Victoris laudem, *n*) cuidam pyctae ut scriberet,

---

m) *Dixi superiùs*] Fab. praeced. XIX. Vocis autem *superiùs*, eo sensu, quo hîc accipitur, usurpatae rara exempla sunt apud bonos Auctores Latinitatis, qui vocem, *supra*, ad id ipsum fere semper adhibuerunt.

n) *Victoris laudem*] Sensus est: conduxit laudem, qualis in victores componi solebat, ut eam cuidam pyctae scriberet. Pyctam Phaedrus hîc vocat, qui vulgò pugil vocatur. Sic Plinius, *Hist.* L. VII, c. 47. *Euthymus pycta, semper Olympiae victor.* Illum verò pugilem, cujus noster poeta nomen reticet, appellatum fuisse Scopam, testatur Cicero, eamque Historiam omnem, Lib. 2 *de Orat.* cap. 86 refert; ut & Quintilianus, *Instit. orat.* Lib. XI, c. 2, qui tamen incertum apud Veteres relinqui dicit, Scopasne iste pugil, an Glaucus, an Leocrates, an Agatharchus nominatus fuerit: tum etiam, domus, in quâ peracta est Historia, Pharsaline, an Cranone fuerit, pariter dissentire Auctores fatetur. Facilè ego crediderim, Sco-

Certo conduxit o) pretio. Secretum petit. p)
Exigua quum frenaret materia impetum, q)
Usus poeta r) moris eſt licentia,
Atque interpoſuit gemina Ledae Sidera,

---

pam illum fuiſſe Cranonenſem, divitiis ac munificentiâ inſignem, à quo etiam poſteri ipſius Scopadae dicti ſunt, ac tantoperè celebrati, ut auctor magni lexici geographici *Bruzen de la Martiniere*, Ortelii theſaurum exſcribens, eos inter varios Theſſaliae populos inſcitè numeraverit.

o) *Conduxit*] Docent MSS. Codices ita eſſe legendum, non verò *condixit*, ut emendandum eſſe quidam Critici cenſuerunt. Operam quidem vel artem alienam qui ſibi praeſtandam pactâ mercede obligant, eam conducere bene latinè dici poſſunt: at eodem ſenſu, quo Phaedrus, Cicero, *de Divinat.* L. II, c. 21 de redemptore loquitur, qui *columnam conduxerat faciendam*. Nam vocabantur redemptores, qui certo pretio faciendum aliquid ſuſcipiebant.

p) *Secretum petit*] Id eſt, ſecedit. Nimirum, ut ait Ovidius:

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quaerunt.

q) *Impetum*] Id eſt, mentis calorem.

r) *Uſus poeta*] MSS. Codices habent, *uſus poetae;* unde Rittershuſius, mutatione leviſſimâ, concinnavit lectionem, quam eſſe accipiendam credidimus.

Auctoritatem *s*) ſimilis referens gloriae.
Opus adprobavit: *t*) ſed mercedis tertiam
Accepit partem: cùm reliquum *u*) poſceret;
Illi, inquit, reddent, quorum ſunt laudes duae *x*)

---

s) *Auctoritatem*] Senſus eſt: Caſtoris &, Pollucis exemplum, qui ſimilem gloriam erant conſequuti, referens, quò major laudi, quam ſcribebat, accederet auctoritas.

t) *Adprobavit*] Verbum ſolemne: redemptores enim propriè opus, quod conduxerant, adprobare dicebantur.

u) *Reliquum*] Iſta vox in quatuor ſyllabas diſpeſcitur. MSS. Codices habent, *reliquam;* quod dici de duabus partibus nequaquam poteſt. Eodem modo, ac Phaedrus, A. Gellius ſcripſit, L. V, c. 10. *Ne reliquum mercedis daret.*

x) *Quorum ſunt laudes duae*] Faber ad hunc locum: *Mendum*, inquit, *foediſſimum; & à nemine tamen, quod mecum mireris, animadverſum.* Gudius autem: *Laudes duae*, *ſoloeciſmus.* Schefferus quoque: *Laudes duae? Quid? an ergo numerantur & laudes?* Talibus hominum eruditorum judiciis deterriti, hanc MSS. Codicum lectionem Critici poſt Fabrum fere omnes repudiarunt; ac plerique conjecturam Schefferi, *laudis duae*, legentis, receperunt, monueruntque, debere hoc de duabus laudis Simonideae partibus intelligi: quae profectò loquendi formula & inelegans & dura & parum latina mihi videtur; praeſertim cùm

Verum ut ne iratum te *y*) dimiſſum ſentiam,
Ad coenam mihi promitte: cognatos volo

vox, *partem*, tantummodò praeceſſerit, & altiûs etiam illa repetenda ſit. Ego verò antiquam lectionem eſſe retinendam cenſeo; & ſubeſſe neque mendum neque ſoloecismum ullum puto; & Laudes hic, ſi pro Laudationibus, ut ratio jubet, accipiantur, numerari poſſe exiſtimo. Nam Quintilianus, *Inſtit. Orator.* L. II, c. 7. Laudationes funebres Romanorum & Laudes Deorum, virorumque, quos priora tempora tulerunt, ad unum idemque genus eloquentiae revocat; neque ibidem per Laudem Herculis aliud quàm ejus Laudationem intelligit. Itaque Simonides Laudem à ſe ſcriptam fuiſſe unicam credidit: at Scopas tres fuiſſe ſcriptas contendebat, unam ſibi, alteram Caſtori, Polluci tertiam; quamobrem duas mercedis partes ab illis eſſe reddendas, ad quos duae laudes pertinerent. Faber volebat reponi:

Illi, inquit, reddent, quorum ſunt laudes, duo. Et hoc pacto mendum, à ſe excogitatum, tolli exiſtimabat. Sed ex eo quaeri potuiſſet, annon ibi duae laudes eſſent neceſſariò intelligendae, ubi duae numero eſſent perſonae, quae laudem accepiſſent ſuam cuique convenientem; cùm praeſertim non ambigeretur, quin alicui tertio ſua quoque propria ſcripta laus fuiſſet. Dolebam, quòd ſolus ita ſentire mihi viderer: at non ſine quodam ſenſu laetitiae vidi tandem in editione Phaedri elegantiſſimâ, quae typis J. Barbou nitidis anno 1783 Pariſiis excuſa eſt, animadvertiſſe Gabrielem Brotier, rectè & latinè ſcriptum ab Auctore noſtro fuiſſe, *Laudes duae*, pro eo quod gallicè dicitur, *deux eloges*.

Hodie invitare, z) quorum es in nnmero mihi.
Fraudatus quamvis & dolens injuriâ,
Ne, male dimissam, a) gratiam corrumperet,

---

y) *Iratum te*] Conjecit Rittershusius ita esse legendum, pro *irate te*, quod exhibent MSS. Codices: & haec quidem conjectura prae aliis Criticorum compluribus vera mihi visa est: nam librarius aliquis compendio scripserit, *iratu;* unde alius facillimè confinxerit, *irate*, praesertim cùm vocula *te* statim sequeretur. Sensus autem est: Verùm ut sentiam, te non discedere hinc iratum, ad coenam mihi promitte.

z] *Invitare*] Pugiles nempe victores magno convivio solebant victoriam suam celebrare; ac sedulò providebant, ut ne hinc abesset, qui laudem ipsis scripsisset. Scopam ergo Simonides ejusque convivas induceret, ut se esse iratum crederent, si ad coenam non promitteret. Propriè autem dictum: Ad coenam promitte. Ita Plautus, *Menaech.* Act. 5, Sc. 2, v. 43 versu hoc bono octonario:

> Unâ operâ me prohibere, ad coenam ne promittat, postules?

a) *Ne male dimissam*] Sensus est: ne oblatam sibi gratiam, sive amicitiam male dimittendo corrumperet. Plana, opinor, ibi sunt omnia; mirorque hunc locum à Burmanno, Bentleio, Gudio, Gronovio fuisse tam laboriosè vexatum: qui mihi quidem nodum in Scirpo quaesiisse videntur. Quis neget, gratiam hîc idem esse, ac amicitiam? Bene autem latinè amicitiam

Promisit; rediit horâ dictâ, recubuit.
Splendebat, hilare poculis, *b*) convivium;
Magno apparatu laeta resonabat domus:
Repentè duo cùm Iuvenes, *c*) sparsi pulvere,
Sudore multo diffluentes corpora, *d*)

---

dici posse dimissam fortè non crediderint: at Cicero, *de amicit.* cap. 21, *amicitias nonnunquam dimittendas* commemorat. Lectio ergo, quam revocavimus, non erat, invitis MSS. Codicibus, veteribusque multis editionibus, repudianda.

b) *Hilare poculis*] Id est, quod hilarabant pocula. Virgil. *Ecl.* 5, v. 29.

Et multò imprimis hilarans convivia Baccho.

c) *Duo cùm Iuvenes*] Quintilianus, *Instit. orat.* L. XI, c. 2. *Simonides nuntio est excitus, quòd eum duo Iuvenes equis advecti desiderare majorem in modum dicebantùr: & illos quidem non invênit; fuisse tamen gratos erga se exitu comperit: nam vix eo limen egresso, triclinium illud supra convivas corruit.* Cicero, *de orat.* L. II, c. 86. *Paulo post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret: Iuvenes stare ad januam duos quosdam, qui eum magnoperè evocarent: surrexisse illum ipsum; prodiisse; vidisse neminem. Hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse; eâ ruinâ ipsum oppressum cum suis interiisse.*

d) *Diffluentes corpora*] Modus est loquendi graecus, apud

Humanam ſupra formam, *e*) cuidam ſervulo
Mandant, ut ad ſe provocet *f*) Simonidem:
Illius interreſſe, ne faciat moram:
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Unum promôrat vix pedem triclinio,
Ruina camarae g) ſubitò oppreſſit ceteros;
Nec ulli Iuvenes ſunt reperti ad januam.
Ut eſt vulgatus ordo narratae rei, *h*)

---

poetas latinos frequens; ipſis etiam Hiſtoricis, praeſertim Taciro, aliquoties uſurpatus.

e) *Humanam ſupra formam*] Subauditur, *exiſtentes*. Formae autem vox non ſolum ad vultum, ſed ad praeſtantiam corporis univerſam pertinet. Eos porrò, non Cranone, ſed Locris apparuiſſe dicit Ioannes Saresberienſis, in *Policratico*, Lib. I, & fuiſſe *Iuvenes procerioris ſtaturae, elegantioris formae, in candido habitu.*

f) *Provocet*] Eodem modo loquuntur, Plautus, *Mil. glor.* Act. 4, Sc. 3, v. 29 ac Terentius, *Eunuc.* Act. 4, Sc. 1, v. 51.

g) *Ruina camarae*] Cicero ad Quintum fratrem, L. III, *Epiſt.* 1, Sect. 1. *Pavimenta*, inquit, *rectè fieri videbantur: camaras quasdam non probavi, mutarique juſſi.* Camara ſaepius, quàm camera, invenitur ſcripta in vetuſtis exemplaribus.

h) *Ordo narratae rei*] Id eſt, ubi res innotuit omnis eo ordine, quo in hàc fabellâ narrata eſt.

Omnes ſcierunt, Numinum praeſentiam
Vati dediſſe vitam, mercedis loco.

EPILOGVS.

Poeta.

SVPERSVNT mihi, quae ſcribam; ſed parco ſciens: *i)*
Primùm, eſſe ne tibi videar moleſtior,
Diſtringit quem multarum rerum varietas. *k)*
Dein ſi quis eadem fortè conari velit,
Habere ut poſſit aliquid operis reſidui: *l)*

---

i) Sed parco ſciens] Id eſt, parco prudens, ſcribere ſcilicet; ſive prudenter omitto. Hic quidem Phaedrus monet, ſe nolle fabellas ultra ſcribere; at in Prologo libri ſequentis, v. 2, damnat mutatque ſuum iſtud conſilium.

k) Diſtringit rerum varietas] Ita Cicero, *de Orat.* L. III c. 2. *Quamdiu Craſſi fuit ambitionis labore vita diſtricta.* Et Plinius, Lib. VII, *Epiſt.* 15. *Diſtringor officio.*

l) Aliquid operis reſidui] Ad hunc locum Franciſcus Hare: *Dixeris*, inquit, *aliquid operis relictum, non aliquid operis relicti.* At multùm ille falſus eſt; ipſumque Burmannus pluſimis veterum adductis exemplis egregiè refellit, quae commemorare hîc ſuperſedebo.

Quamvis materiae *m*) tanta abundet copia,
Labori faber ut deſit, non fabro labor.
Brevitatis noſtrae praemium ut reddas peto,
Quod es pollicitus: exhibe vocis fidem: *n*)
Nam vita morti propior eſt quotidie:
Et hoc minùs perveniet *o*) ad me muneris,
Quo plus conſumet temporis *p*) dilatio.

---

m) *Materiae*] Cicero apud Lactantium, *Inſtitut. divin.* L. II, c. 8, *Faber cùm quid aedificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed eâ utitur, quae ſit parata.* Monuit Pithoeus, ſcriptum in exemplari ſuo fuiſſe, non, *materiae*, ſed, *naturae:* quam lectionem debuiſſe retineri Gudius contendit; at ceterorum omnium, qui Pithoeanam emendationem admiſerunt, auctoritatem hujus eſſe opinioni anteferendam cenſui.

n) *Vocis fidem*] Vocis fides exhibetur, quando fit, quod promiſſum fuit. Cicero, *Offic.* L. I, c. 7. *Credamus, quia fiat quod dictum eſt, appellatam fidem.* Fides igitur vocis eſt id, quod, cùm fuerit prolatâ voce ſignificatum, fieri debet.

o) *Perveniet*] Uterque MSS. Codex & aliquot editiones habent, *veniet*, claudicante verſu. Cum plerisque Criticis admiſimus, *perveniet*, quod parum differt à vetere ſcripturà; nam librarii, *pveniet*, ſcribere compendio ſolebant.

p) *Temporis*] Ad voculam, *plus*, referenda eſt iſta vox; neque hîc temporis dilatio intelligenda.

Si citò rem perages, uſus fiet longior:
Fruar diutius, ſi celeriùs coepero. *q*)
Languentis aevi dum ſunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus eſt: olim ſenio debilem
Fruſtra adjuvare bonitas nitetur tua,
Cùm jam deſierit eſſe beneficio utilis, *r*)

---

q) Hi duo verſus eamdem diverſis verbis ſententiam exhibent: uſum enim beneficii longiorem habere, idem eſt, ac beneficio diutius frui; rurſusque, ſi res peragatur citò, conſectarium eſt, ut eo celeriùs frui beneficio Phaedrus incipere poſſit. Malè ergo brevitati, quam ipſe paulo ante venditavit, conſulere hic videtur.

r) *Beneficio utilis*] In utroque MSS. Codice legitur: *Beneficio utilius;* pro quo Pithoeus & ſequaces ejus permulti repoſuerunt, *beneficium utile*, optimo quidem ſenſu; ſed nimiùm a vetere ſcripturâ receſſiſſe mihi videntur. Lectionem noſtram invenit Gudius; & ſic ediderunt Hoogſtratanus, Gronovius, Maſcrier, Philippe, ac noviſſimè Gabriel Brotier. Gudius autem & Hoogſtratanus, & Gronovins locum hunc iſto fere modo explicant: *Cùm jam tuus Phaedrus deſierit eſſe tuo beneficio utilis.* Quae potuit explicatio Burmanno aliisque diſciplicere, fortè exiſtimantibus, non bene latinè dici, hominem alicui rei utilem; quamvis apud Ciceronem, *Offic.* L. I, c. I, homo *ad rem nullam utilis* memoretur. Sed verba Phaedri aliter licet expli-

Et mors vicina flagitabit *s*) debitum.
Stultum, admovere tibi preces, perſpexeris, *t*)
Proclivis ultro cùm ſit miſericordia.
Saepe impetravit veniam confeſſus reus; *u*)]
Quanto innocenti juſtiùs debet dari?
Tuae ſunt partes, fuerant aliorum priùs;
Dein ſimili gyro venient aliorum vices. *x*)

care; & *utilis* commodè ad vocem bonitatis referri poteſt, ut ſenſus ſit: Cùm jam tua bonitas beneficio, collato videlicet, utilis mihi eſſe deſierit.

s) *Flagitabit debitum*] Horatius, *art. poet.* v. 63.
Debemur morti nos noſtraque.

t) *Perſpexeris*] Alii legunt, *exiſtima*, vel *exiſtimes*, vel *exiſtimo*; alii, *eſt*, *Eutyche*; alii, *ſexcenties*. In Codice Pithoeano legitur, *praecepſexis*: undè eruendum eſſe, *perſpexeris*, credidi. Etenim, *precé*, in MSS. Codicibus idem ſaepe eſt, quod, *preces*: deinde: *perſpexeris*, mutari à librariis compendio ſcribendi facilè potuit in, *pſpexis*, ac denique in, *pſexis*. Porrò ſenſus eſt: ipſe perſpexeris, me ſtultè, ſive imprudenter facere, quòd preces tibi admoveam, cùm ſis ſponte miſericors.

u) *Confeſſus reus*] Ovidius, *Pont.* L. II, *Epiſt.* 2, v. 56.
Non eſt confeſſi cauſa tuenda rei.
Confeſſus autem reus ille dicitur, qui crimen cogitur ſuum confiteri, ſive qui convictus eſt.

x) Senſus eſt: nunc te ad meam defendendam cauſam

Decerne, quod religio, quod patitur ſides,
Et gratulari me fac judicio tuo. *y*)
Excedit animus, quem propoſuit, terminum;
Sed difficulter continetur ſpiritus,
Integritatis qui ſincerae conſcius,
A noxiorum premitur *z*) inſolentiis.
Qui ſint, requires; apparebunt tempore. *a*)

---

tempus invitat: jam antea alii iſtud officium ſuſceperant, ſuſcipientque deinde etiam alii, qui eadem, ac tu & illi, obituri ſunt munera. Admodùm veriſimile eſt, annuas hîc à Phaedro munerum vices à magiſtratibus obeundas intelligi; ac proinde Epilogum iſtum non ſpectare neque ad Eutychum, neque ad Particulonem, qui pileata fuiſſe capita videntur.

y) *Iudicio tuo*] Hîc, opinor, de judicio agitur, non circa fabellas, ſed circa fortunam Phaedri proferendo.

z) *A noxiorum inſolentiis*] Satis fuerat ſcribere, *inſolentiis*, ſine praepoſitione. Similiter tamen homo apud Ovidium, *Faſt.* Lib. V, v. 710 *trajectus ab enſe; & Triſt.* L. II, v. 421 *defenſus ab armis*, memorantur. Quemadmodùm autem Phaedrus, *inſolentias*, ita Cicero *laetitias*, *praeſentias*, *audacias*, pluraliter extulit.


a) *Tempore*] Opportuno ſcilicet. Ita Cicero, *ad Famil.* Lib. V, *Epiſt.* 10. *Renovabo commendationem, ſed tempore.*

Ego quondam legi quam puer ſententiam:
Palam mutire plebeio periculum eſt, *b*)
Dum ſanitas conſtabit, pulchrè meminero.

---

b) *Periculum eſt*] Sententia, quae hìc refertur, deſumpta eſt ex Ennii *Telepho*, ut monet Feſtus, qui pariter voce, *mutire*, eam recitat: ſed in hujus tum MSS. Codicibus, tum editionibus vulgatis legitur, *piaculum*, non verò, *periculum*, ut habent Phaedri Codices MSS. &c. pleraeque editiones. Haec autem ipſa lectionis varietas novum eſt teſtimonium, quo illud, quod jam demonſtravimus, has eſſe Phaedri fabellas, confirmatur: auctor enim ſi eſſet recens, verſum Ennii retuliſſet, qualis in omnibus Feſti exemplaribus exhibetur.





LIBER QVINTVS.

PROLOGVS

Ad Particulonem.

CVM destinassem terminum operi statuere *a*)
In hoc, ut aliis esset materiae satis,

Con-

a) *Terminum operi statuere*] Hanc Schefferi emendationem, quam admisit Bentleius, admittere quoque non dubitavi; tum quia leviter à MSS. Codicum fide recedit, in quibus legitur, *terminum operis habere*; nam, *habere*, non multùm in vetere scripturâ differt à *statuere*: tum etiam, quòd, *operis habere terminum*, quae lectio est à plerisque Criticis recepta, locutio mihi insolita & vix latina videatur, praesertim cum verbum, *destinassem*, praecesserit.

Consilium tacito corde damnavi *meum.* *b*)
Nam si quis etiam talis est tituli *appetens*, *c*)
Quo pacto divinabit *d*) quidnam omiserim,

b) *Meum*] Abest ab utroque Codice manuscripto haec vocula, quam primus excogitavit Rittershusius, & ultro cum plerisque Criticis admisimus.

c) *Tituli appetens*] Et hunc pariter versum ultimo pede minorem uterque Codex exhibet. Permulti cum Rigaltio legere maluerunt, *tituli artifex;* sed hoc pacto titulus nihil aliud significare jam potest, nisi inscriptionem, cujus artifex fore post Phaedrum aliquis, quâ ratione diceretur, non video. Nos cum Freinshemio, vocem, *appetens*, aptè ad sensum Auctoris adjici posse, censuimus: nam, *talis tituli appetens*, idem est, ac *similis gloriae cupidus.* Neque significationem ea vox diversam habet apud Ciceronem, *Orat. in Pison.* c. 9, ubi, *titulus consulatûs;* aut *Tuscul.* L. V, c. I, ubi *titulus sapientis* memoratur.

d) *Divinabit*] In Codice tum Pithoeano tum Remensi scriptum est, *damnabit*, errore manifesto oscitantis librarii. Rigaltius, anno 1617, primus lectionem, quam cum omnibus Criticis amplexi sumus, exhibuit: quia verò tacuit, ut solet, unde hanc eruisset, multi existimarunt, ipsam esse Codicis Remensis lectionem. At epistola MSS. missa Remis ad Franc. nostrum Vavassorem, me docuit, Codicem illum nihil à Pithoeano differre, cùm hîc, tum in aliis fere omnibus locis; ita ut alterutrum ex altero fuisse exscriptum verisimile sit.

Ut illud ipſum cupiat *e*) famae tradere:
Sua cuique cùm ſit animi cogitatio . .

e) *Ut illud ipſum cupiat*] MSS. Codices & editiones aliquot habent: *ut illum ipſum cupiam:* unde ſenſus bonus elici nullus poteſt. Guyetus & Faber emendationem propoſuerunt, quam recepimus. Omnis autem hic locus ſic explicandus eſt: quomodò divinare ille poterit, quaenam argumenta tractare eo conſilio noluerim, ut illa ipſa cupiat memoriae tradere? Gallicè, *à deſſein de lui faire naitre l'envie de les transmettre à la poſterité.* Quomodò iſtud divinare poterit, cùm quisque propriâ excogitandi quidlibet facultate polleat, & colore item proprio, ſive propriâ res excogitatas exprimendi ratione utatur? Nimirùm Phaedrus multis jam exemplis, ut ipſe, L. III, *Prol.* v. 50 loquitur, vitam hominum ſui temporis & mores oſtenderat: dixerat, L. IV, *Epil.* v. 1 multa ſupereſſe, quae ſcriberet; & ab his abſtinere ſe velle ſignificaverat: at nunc propoſitum ſuum repudiat hâc de cauſâ, quòd vereatur, ne ſi quis ipſius veſtigiis inſiſtere velit, argumenta ille vel non excogitet, quae tractanda eſſent, vel malè exſequatur. Mens Auctoris in hoc loco non omnibus obvia eſt. Cave ne argumenta, quae hactenus ille ſe omiſiſſe dicit, de Aeſopicis generatim intelligas fabulis, quas componere praettereà potuiſſet: ſed ea refer ad Apologos dumtaxat, qui mores corruptos Romanorum oſtenderent, vitamque nefariam optimatum quorumdam carperent: opus, ut ipſe magno ſuo malo expertus eſt, periculoſae aleae pleniſſimum.

Colorque proprius? *f*) Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
Quas Aesopeas, non Aesopi *g*) nomino,
(Nam is paucas ostendit, *h*) ego plures dissero,

---

f) *Colorque proprius*] Legitur in utroque MSS. Codice, *colorque prior*, metro & latinitate repugnantibus: pro quo Rittershusius proposuit legendum, *proprius*: quam lectionem pleraeque editiones exhibent. Librarius aliquis compendio scripserit, *pprius*, ex quo alter fecerit, prius; demum tertius, sibi visus doctior, corrigere soloecismum voluerit, ac reposuerit *prior*. Rectè autem cujusque proprius color pro ratione scribendi propriâ dictus est: sic enim Cicero *de clar. Orat.* c. 46. Urbanitatis colorem vocat illum, qui Scriptorum Romae commorantium erat proprius.

g) *Aesopeas, non Aesopi*] Fabulae dicuntur Aesopeae vel Aesopiae, vel etiam Aesopicae, quae ad exemplar, quod reliquit Aesopus, factae sunt; Aesopi autem, quas Aesopus vel fecit, vel fecisse creditur.

h) *Nam is paucas ostendit*] Pithoeus in suo Codice MSS. invênit: *Quasi paucas ille, ostendit, ego plures dissero*: unde confecit & edidit:

Quasi paucas ostenderit, ego plures dissero.

Quam lectionem plerique posteriorum editionum auctores admiserunt: sed rectène & aptè ad Phaedri mentem istud, *quasi ostenderit*, explicare potuerint, scire laboro. Ego verò nullum sensum ex his verbis,

Usus vetusto genere, *i*) sed rebus novis)
Quintum libellum *k*) dum tu Variae perleges, *l*)

---

eruere bonum potui. Itaque judicavi, *nam is*, legendum esse, pro, *quasi*, quod quidem facilè à Librario intrusum fuerit, dum inter scribendum respicit ad vocem, *quas*, unde initium sumit versus proximè superior. Iam verò, *ostendit*, quod genuinum est, retinetur, & *ille*, tanquam glossema ejicitur ratione tanto magis plausibili, quòd, *is*, in ipsius locum substituatur.

i) *Vetusto genere*] Scribendi scilicet; eoque non alio, quàm quod, L. I, *Prol.* v. I vocatur *Aesopi genus*. Res autem novae, de quibus hîc agitur, intelligendae sunt illae ipsae fabulae, quas numero plures Phaedrus à se inventas fuisse gloriatur.

k) *Quintum Libellum*] Cùm Pithoeus, *quartum Libellum*, in suo Codice scriptum videret, hunc libri quinti Prologum ad calcem libri quarti rejecit: at quanto proclivius erat, *quintum*, pro, *quartum*, reponere, ut fecimus, Ursini ac Bentleii exemplum sequuti!

l) *Dum tu Variae perleges*] Hanc felicissimam Gabrielis Brotier emendationem avidè confestimque recepimus; cujus etiam observationem referre non pigebit: *Hic agitur de Particulonis villâ, quae erat Variae, nunc Vicovaro, in ripâ dextrâ Anienis, agroque Tiburtino, viâ Valeriâ.* Proxima fuit Horatii villa, qui & Variam memorat, L. I, *Epist.* 14, v. I.

Villice silvarum, & mihi me reddentis agelli,

Hunc obtrectare ſi volet malignitas,
Imitari dum non poſſit, obtrectet licet.
Mihi parta laus eſt, quòd tu, quod ſimiles tuî,
Veſtras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longâ judicatis memoriâ.
Inliteratum *m*) plauſum cur deſidero?

Quem tu faſtidis, habitatum quinque focis, &
Quinque bonos ſolitum Variam dimittere patres.
Ad fidem Codicis Pithoeani, *dum varie perleges*, claudicante verſu, editiones Rigaltiana 1600, Hanovienſis 1603, & Neveletana 1610, exhibent: Pithoeus antea ex ingenio ſuo ediderat, *dum vacivè perleges:* at Rigaltius anno demum 1617 edidit, vel potius (nam ibi eſt mendum typographicum) edere voluit, *dum tu variè perleges;* cui Critici complures aſſenſerunt, nihil de Variâ ſuſpicantes. Sed quid eſt, *variè perlegere?* An latina hìc & apta eſt oratio? Pro, *dum tu variè*, vel pro, *dum vacivè*, legi voluerunt Hoogſtratanus anno 1711, *dum vacivus;* Iac. Gronovius, *ductum variè;* Franciscus Hare, *dum tu validè;* Bentleius, *cùm vacârit;* ego excogitaveram, *dum tu rite:* quae lectio nec Phadro videtur indigna, nec multùm à vetere ſcripturâ differt, ſi modum, quo literae in MSS. Codicibus exarari ac diſponi ſolent, conſideres.

m) *Inliteratum &c.*] MSS. Codices & aliquot editiones exhibent, repugnante lege metricâ:
In literarum plauſum ire deſidero.

Poeta ad Lectorem

Aesope nomen sicubi interposuero, *n*)
Cui reddidi jampridem *o*) quicquid debui,
Auctoritatis esse scito gratiâ: *p*)

Cui malo[1] remedium ut afferret Gudius, legendum censuit:

In literarum ire plausum desidero.

Ubi producitur syllaba, *re*, attrahendo ad se literam, *p*, quae subsequitur: & sic edidit Hoogstratanus anno 1701. At forsitan, *ire in plausum*, nihil aliud significare possit, ac, *plaudere:* quod & ipse Phaedrus, fab. seq. 7, v. 28. his verbis, *in plausus consurrectum est*, videtur confirmare. Ego verò arbitratus sum, admittendam esse Scioppii conjecturam, qui pro, *ire*, legendum proposuit, *non*, vel, *cur:* sed, *cur*, propiùs accedit ad veterem scripturam, & elegantiorem, nisi fallor, vividioremque orationem efficit. Plausus autem inliteratus, sive illiteratus idem est, quod plausus ab illiteratis datus. Ita Cicero, *ad Famil.* L. IX, *Epist.* 16 dicta quaedam vocat *non illiterata*.

n) *Interposuero*] Fabularum hujus libri, quae supersunt, nulla Aesopi nomen interpositum exhibet: illud tamen interponendum alicubi praenuntiare Phaedrus videtur: at earum ipsarum, quae ibidem hodie continentur, paucitas plures deperiisse satis demonstrat.

o) *Iampridem*] Passim videlicet in libris quatuor superioribus.

p) *Auctoritatis gratiâ*] Id est, propter auctoritatem, &

Ut quidam artifices noſtro faciunt ſeculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt novis, q)
Si marmori adſcripſerunt Praxitelem ſuo,
Trito & Myronem argento, r) tabulae & Zeuxidem
Ideo fuſcatae: plus vetuſtis nam favet

---

quae tanti nominis eſſe creditur, & quae meis etiam fabellis inde concilianda ſit.

q) *Operibus novis*] In Codicibus MSS. & in plerisque editionibus legitur *novo*, ita ut referatur ad ſequentem verſum. Repoſui *novis*, quae vox ſatis bellè opponitur voci, *vetuſtis*, quam verſus octavus exhibet. Cùm autem ſequatur, *marmori ſuo*, quid neceſſe fuit, ut adjiceretur, *novo?*

r) *Trito & Myronem argento*] MSS. Codices & veteres editiones hunc locum omnem ſic adornatum exhibent:

> Detrito Myronem argento; fabulae exaudiant
> Adeò fugatae.

Qui locus Rigaltio, Burmanno, & aliis pro deſperato habitus eſt. Nos exemplo quorundam Criticorum animati, deſerere illum inemendatum noluimus. Itaque *trito &* pro *detrito*, *tabulae* pro *fabulae*, *& Zeuxidem* pro *exaudiant*, *ideo fuſcatae* pro *adeò fugatae* repoſuimus, rectène an ſecus; peritis judicandum relinquimus. Senſus porrò eſt: ſi marmoreae ſtatuae, recèns à ſemet ipſis elaboratae, Praxitelem inſcripſerunt: aut Myronem argento paulùm attrito, quod ipſi ſcalpſerint; vel Zeuxidem tabellae, quam & pin-

Invidia mordax, quàm bonis praesentibus.

SED jam ad fabellam talis exempli *s*) feror.

FABVLA I.

Demetrius Phalereus, & Menander poeta.

DEMETRIVS, qui dictus est Phalereus, *t*)

---

xerint & hac eâdem de causâ infuscaverint. Myron Praxitele annis fere octoginta vetustior perhibetur: illum quidem Plinius, *Hist.* Lib. XXXIV, cap. 8 inter Statuarios recenset; sed & Scalpturam exercuit, etiamque laboravit in argento, ut Statius docet, *Silv.* L. I, carm. 3, v. 50.

Quidquid & argento primum vel in aere Myronis
Lusit & enormes manus est experta colossos.

Zeuxis Heracleotes, pictor celeberrimus, paulo ante Praxitelem floruit.

s) *Ad fabellam talis exempli*] Id est, ad fabellam, quae erit hujusmodi. Verba enim Phaedri intelligo de fabellâ tali simpliciter, qualis sequitur, sine ullo respectu ad ea, quae praemissa sunt.

t) *Phalereus*] Cùm graecè dicatur plerumque Φαληρεύς, raro autem Φαλήρεαῖος, non video, cur *Phalereus* penultimam syllabam habere brevem non possit. Schefferum ergo & Hoogstratanum, qui hanc esse naturâ suâ longam pronuntiant, non esse audien-

Athenas occupavit *u*) imperio improbo.
Ut mos eſt vulgi, paſſim & certatim ruunt,

---

dos puto: neque neceſſe eſt verba transponi hoc modo:

Demetrius, Phalereus qui dictus eſt,

ut fecit Burmannus; aut reponi *Phalerius*, ut volebat Heinſius. Iam verò ſi arbitrati ſunt, vocem *Phalereus* terminari diphtongo, quam duas in vocales diſtrahere non liceat, falſos eos eſſe oſtendet Philippus Labbe, meus conterraneus, in Indicibus eruditae pronuntiationis, pag. 221. Etenim Virgilius, *Ecl.* 3, v. 41.

Orpheaque in medio poſuit ſylvasque ſequentes.

Et Ovidius, *Heroid.* Epiſt. 8, v. 31.

Me tibi Tyndareus vitâ gravis auctor & annis
Tradidit.

Et Culicis Auctor, qui certè antiquiſſimus eſt, v. 116.

Orpheus Hebrum
Reſtantem tenuit ripis ſylvasque canendo.

Et Palladius, in *Virgilii Catalectis*, edit. Lindenbrog. pag. 174.

Moresque agreſtes expolivit Orpheus.

Demetrius autem Phalereus ille ipſe eſt, cujus cùm alias excellentis ingenii dotes, tum imprimìs doctrinam, ſuavemque ac floridam eloquentiam ſaepe commendavit Cicero; atque *Orat. pro Rabirio Poſth.* c. 9. *Accepimus*, inquit, *Demetrium & ex Republicâ Athenis, quam optimè geſſerat, & ex doctrinâ nobilem & clarum, qui Phalereus vocitatus eſt, in eodem iſto Aegypti regno,*

FELICITER succlamant. *x*) Ipsi principes *y*)
Illam osculantur, quâ sunt oppressi, manum,

---

aspide ad corpus admotâ, vitâ esse privatum. Is nempe, ut refert Diogenes Laertius, Lib. V, cùm Athenas rexisset eo successu, ut positae ipsi Statuae trecentae ac sexaginta fuerint, demum ab Atheniensibus absens damnatus est: & post Cassandri, Macedoniae regis, mortem ad Ptolomaeum se contulit in Aegyptum, ubi illo mortuo, ob metum Philadelphi successoris, mortem ipse sibi consciscere non dubitavit. Idem Diogenes eum fuisse dicit Peripateticorum sui temporis omnium doctissimum, & opera ejusdem historica, politica, poetica, rhetorica multa commemorat: sed & Fabulas Aesopi in unum corpus ab ipso fuisse collectas docet. Annis fere ante Virginis partum trecentis floruit. Phalereus ab antiquo Athenarum Phalereo portu dictus est, qui portus ab Argonautâ Phalero nomen acceperat. Haec porro fabula in Codicibus manuscriptis & satis multis editionibus sic inscribitur: Demetrius Rex & Menander poeta: qui manifestus error est; noster enim Demetrius Archon quidem Athenis, nunquam autem Rex fuit. Sub ejus nomine circumfertur liber de interpretatione, typis nec semel mandatus: at ille fetus Dionysio Halicarnassensi tribuitur in veteribus Scholiis ad Nebulas Aristophanis.

u) *Athenas occupavit*] Iuvante, ut perhibetur, Cassandro, Macedoniae Rege. Quod autem subjicit Phaedrus, patratum id fuisse dominatione improbâ; aliter sen-

Tacitè gementes triſtem Fortunae vicem.
Quinetiam reſides, & ſequentes otium,
Ne defuiſſe noceat, reptant ultimi; z)
In quîs a) Menander, nobilis comoediis,
Quas, ipſum ignorans, b) legerat Demetrius

ſiſſe videtur Cicero, qui *de Legib.* L. III, c. 6, illum dicit *utrâque re excelluiſſe, ut & doctrinae Studiis & regendâ Civitate princeps eſſet.* Et L. II, c. 26, *Fuit enim hic vir, ut ſcitis, non ſolùm eruditiſſimus, ſed etiam e Republicâ maximè, tuendaeque Civitatis peritiſſimus.* Quae sanè verba Imperium improbum non modò non ſignificant, ſed planiſſimè etiam excludunt.

x) *Feliciter ſucclamant*] Ita ſcribendum eſt ſine diſtinctione; & idem eſt, quod, ſucclamant: *Feliciter eveniat!* Etenim, *feliciter dicere, acclamare, ſucclamare* gratulationum formulae ſunt. Iuvenalis *Sat.* 2, v. 119.

Signatae tabulae; dictum feliciter.

y) *Principes*] Id eſt, primi Civium.

z) *Reptant ultimi*] Id eſt, ultimi, quippe tardè ambulantes, accedunt.

a) *Quìs*] Ita ſcribendum, pro *quibus;* non verò *queis*, quod Auctores aut Phaedro vetuſtiores, aut vetuſta affectantes uſurpare ſolebant. *In quìs* autem idem eſt ac inter quos, vel in quorum numero.

b) *Ipſum ignorans*] Id eſt, cùm ille nondum eſſet ipſi de facie cognitus; uterque tamen, ut legere licet apud Diogenem Laertium, Theophraſti diſcipulus fuit

Et admiratus fuerat ingenium viri,
Unguento delibutus, veſtitu adfluens, *c*)
Veniebat greſſu delicato & languido.
Hunc ubi Tyrannus vidit extremo agmine:
Quisnam *d*) cinaedus *e*) ille in conſpectu meo *f*)

ſed hoc fieri diverſis temporibus oportuit. Poſthae etiam oſtendit ſe Menander Demetrio tam addictum, ut, illo expulſo damnatoque, in periculum vitae et ſolùm de cauſâ venerit, quòd amicus ejus foret.

c) *Veſtitu adfluens*] Ita Livius Andronicus, pag. 4, editionis Scriverianae:

Aſiatico ornatu adfluens.

d) *Quisnam*] Hanc eſſe Codicis Remenſis lectionem, docuit nos Epiſtola miſſa Remis ad Franc. Vavaſſorem: quae Lectio mihi viſa eſt optima: etenim apud Terentium aliosque ſcriptores antiquos rarò, *quinam*, fere ſemper *quisnam*, legitur.

e) *Cinaedus*] Id eſt, effeminatus. Neque fortè ſuſpicio tam probroſa à Menandro multùm abludit, ſi vera narrantur in ejus Epiſtolâ, quae inter Epiſtolas Alciphronis tertia eſt libri ſecundi: ipſum nempe, à Ptolomaeo Rege invitatum, transmigrare in Aegyptum noluiſſe, ne ſuam Glyceram relinqueret.

f) *In conſpectu meo*] Hanc lectionem, quae MSS. Codicum, Pithoeani Remenſisque, ac multarum Editionum eſt, plurimis Auctorum veterum ſimilibus exemplis Schefferus & Burmannus defenderunt. In Codice Pe-

Audet venire? Reſponderunt proximi:
Hic eſt Menander ſcriptor. Mutatus ſtatim:
Nunquam, inquit, homines ſpecie ab externâ mihi
Dijudicandos eſſe, nunc intelligo.

FABVLA II.

Viatores & Latro.

Dvo *cùm incidiſſent in Latronem milites,* g)
Unus profûgit; alter autem reſtitit,
Et vindicavit ſeſe forti dexterâ.
Latrone occiſo timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein rejectâ penulâ: *h*)

---

rotti legitur, *in conſpectum meum;* ſed cùm, *in conſpectu*, aequè ac, *in conſpectum venire*, oratio latina ſit, veterem lectionem retinendam eſſe credidi.

g) Hi duo verſus inventi ſunt in Codice MSS. Nic. Perotti.

h) *Rejectâ penulâ*] Ex humeris in dorſum iſte Thraſo penulam rejecerat, ut ſtrictum gladium liberiùs rotaret. Penulâ tunicae ſuperadditâ Romani facere iter ſolebant. Adhibebatur illa contra pluvium tempus. Quintilianus, *Inſtit. Orat.* L. VI, c. 3; *Galba*,

Cedo, *i*) inquit, illum; jam curabo, ſentiat,
Quos adtentarit. Tunc qui depugnaverat:
Vellem iſtis verbis ſaltem adjuviſſes modò:
Conſtantior fuiſſem vera exiſtimans:
Nunc conde ferrum, & linguam pariter futilem.
Ut poſſis *k*) alios ignorantes fallere,
Ego, qui ſum expertus, quantis fugias viribus,
Scio, quàm *l*) virtuti non ſit credendum tuae.

---

inquit, *penulam roganti reſpondit: non pluit, non opus eſt tibi: ſi pluit; ipſe utar.*

i) *Cedo*] Id eſt, trade illum mihi. Plautus, *Aulul.* Act. 4, Sc. 4, v. 8:

> Nihil equidem tibi abſtuli . . . At illud, quod tibi abſtuleras, cedo.

k) *Ut poſſis*] Id eſt, licèt verbis tuis iſtis magnificis alios, qui te ignorant, poſſis fortè fallere, ego tamen &c. Omnes, quas equidem vidi, editiones hunc verſum majori diſtinctione claudunt, & ad praecedentem referunt: noſtratesque interpretes gallicè vertunt, *afin que vous puiſſiez*, ſenſu frigido; ut videtur, nec ſatis idoneo. Cicero non aliter ac Phaedrus *Epiſt. ad Brutum* nonâ ſcribebat: *Ut reliqua ex ſententiâ ſuccedant; vix ſatis liberi videmur fore.*

l) *Scio quàm*] Pithoeus edidit, *ſcio quòd:* quae latina & bona eſt locutio, ut oſtendit Perizonius ad *San-*

Illi adsignari debet haec narratio,
Qui re secundâ fortis est, dubiâ fugax.

FABVLA III.

Calvus & Musca.

Calvi momordit Musca nudatum caput;
Quam opprimere captans, *m*) alapam sibi duxit *n*) gravem.

---

ctii Minervam, L. III, c. 14. Nam Plautus, *Asinar.* Act. 1, Sc. 1, v. 37:

Equidem scio jam, filius quòd amet meus
Isthanc meretricem è proximo Philenium.

Similiter Virgilius, *Georg.* L. I, v. 415.

Haud equidem credo, quia sit divinitùs illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major.

At cùm Perotti Codex habeat, *scio quam;* Remensis autem, *scio quid;* nec aliter in Pithoeano legi, Gabriel Brotier testetur; Perotti lectionem, ceteroqui bene latinam, admittendam esse judicavi.

m) *Captans*] Id est, tentans. Vide notata ad Lib. IV, fab. 8, v. 6.

n) *Alapam sibi duxit*] Quintilianus, *Instit. Orat.* L. VI, c. 2, pag. 388, editionis Paris. an. 1725: *Colaphum tibi ducam, & formulam scribam, quòd caput durum habeas.*

Tunc illa inridens: Punctum *o*) volucris parvulae
Voluisti morte ulcisci: quid facies tibi,
Injuriae qui addideris *p*) contumeliam?
Respondit: Mecum facilè redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem laedendi, scio.
Sed te, contempti generis *q*) animal improbum,
Quae delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare vel majore incommodo.

Hoc argumentum veniâ donari *r*) docet,

Qui

o) *Punctum*] Id est, punctionem. Plinius, *Hist.* L. 29, cap. ult. *Mustelae, etiam oculis punctu erutis, aiunt visum reverti.*

p) *Injuriae qui addideris*] Injuriam Burmannus ad Muscam, contumeliam verò ad Calvum refert, ut sensus sit: quâ poenâ temet ipsum afficies, qui non modò volueris me injustè occidere, sed tibi etiam ipsi contumeliam feceris? At verbum, *addideris*, satis apertè significat, separandam hic non esse à contumeliâ injuriam, & ad Calvum utramque pertinere. Itaque quòd seipsum ille percusserit, injuriam fecit; quòd autem caput, partem corporis verendam, palmâ etiam extensâ verberaverit, contumeliam injuriae addidit.

q) *Contempti generis*] Id est, quae ex genere animalium contempto cùm sis, etiam es improba.

r) *Veniâ donari*] Pro, *veniam dari*, quod habent MSS. Codi-

Qui caſu peccat. Nam, qui conſilio eſt nocens,
Illum eſſe quâvis poenâ dignum, judico.

FABVLA IV.

De Verre & Aſino.

QVIDAM immolaſſet Verrem cùm ſancto Herculi, *s*)
Cui pro ſalute votum debebat ſuâ,
Aſello juſſit reliquias poni *t*) hordei. *u*)
Quas aſpernatus ille, ſic locutus eſt:
Tuum libenter prorſus adpeterem cibum,

Codices, repoſuimus, *veniâ donari.* Si quis tamen cum Rigaltio & aliis, *veniam ei dari*, legere maluerit, non multùm repugnabimus.

s) *Sancto Herculi*] Sancus, nomine ex linguâ Sabinorum deducto, idem eſt ac Hercules. Ille autem deus ſanctus, atque etiam ſanctiſſimus paſſim apud Auctores antiquos & in vetuſtis marmoribus memoratur.

t) *Poni*] Horatius, Lib. II, *Sat.* 6, v. 63:
O! quando faba Pythagorae cognata, ſimulque
Uncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo?

u) *Hordei*] Subaudi, quo Verres iſte ſaginatus fuerat.

Nisi qui nutritus illo est, jugulatus foret.

HVJVS respectu fabulae x) deterritus y)
Periculosum semper reputavi z) lucrum.

---

x) *Hujus respectu fabulae*] Latina est ista loquendi formula, contra quàm Adrianus Cardinalis, *de sermone latino*, voce, *respectus*, & Andreas Schottus, *Tullianarum Quaest.* Lib. III, pag. 256, existimasse videntur. T. Livius, Lib. II, c. 30: *Factione, respectuque rerum privatarum, quae semper offecere, officientque publicis consiliis, Appius vicit.* Lucanus, Lib. VIII, v. 489:

Sceptrorum vis tota perit, si perdere justa
Incipit, evertitque arces respectus honesti.

Martialis, Lib. XI, *Epigr.* 50.

Sit pudor, & tandem veri respectus & aequi.

y) *Deterritus*] Non audiendus est Scioppius, qui in *Infamiâ Famiani*, pag. 43, ad haec verba, *deterritum suspicabantur Caesarem Galliae Regis felicitate*, quae Famiani Stradae sunt: *Territum*, inquit, *dicere debueras vel conterritum.* Dicitur enim apud Ovidium, *Metam.* L. X, v. 600, Hippomenes *eventu deterritus*; & apud Ciceronem, ad *Attic.* L. X, *Epist.* 15, med. *pudore deterritus* memoratur Antonius.

z) *Reputavi*] Haec MSS. Codicum & veterum editionum lectio est, quae genuina nobis videtur. Primus ex ingenio suo Rigaltius anno 1617, *vitavi*, reposuit, exili, opinor, Ioan. Meursii ratiocinatione labefactatus, contendentis, non lucrum quodvis esse periculosum, at illud tantùm, *quod*, ut ejus verbis utar, *ho-*

Sed dicis: Qui rapuere divitias, habent.
Numeremus, agedum, qui deprenſi perierint: *a*)
Majorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas *b*) eſt bono, multis malo.

---

neſtam famam jugularet. Ejecit ergo, *reputavi*, ut, *vitavi*, ſubſtitueret, & hoc pacto intelligeretur, illud tantummodò fuiſſe vitatum à Phaedro lucrum, quod periculoſum eſſet. At quis dubitare prudenter poſſit, quin hîc agatur de lucro iſto ſordido, à quo non magis crimen, quam periculum abeſſe ſolet?

a) *Qui deprenſi perierint*] Deprenſos Phaedrus illos appellat, in quos ſive legum vi, ſive auctoritate Principis animadverſum fuerit: atque hîc fortè intelligendi ſunt homines quidam flagitioſi, qui favente Sejano ditati, ab ipſomet deinde ſancto Herculi, id eſt, Tiberio, bona eorum appetenti, quaſi totidem porci ſaginati, immolati fuiſſent; ita ut diris iſtis exemplis deterriti ipſi Aſelli, id eſt pauperes de plebe homunculi, tales munerum reliquias, ſive relictas horum divitum provincias refugere ſolerent.

b) *Temeritas*] Senſus eſt: rem cum periculo conjunctam perſequi, paucis prodeſt, multis nocet.

FABVLA V.

Scurra, & Ruſticus.

PRAVO ſavore *c*) labi mortales ſolent,
Et pro judicio dum ſtant erroris ſui,
Ad poenitendum rebus manifeſtis agi.
FACTVRVS ludos quidam dives nobiles, *d*)
Propoſito cunctos invitavit praemio,

c) *Pravo favore*] Favorem intelligit eum Burmannus, quo ſibi quisque favet & applaudit, dicitque Portu-regienſem interpretem nihil intellexiſſe. Sic ille quidem vertit: *Les hommes ſe trompent d'ordinaire, lorsqu'ils ſont preoccupés de paſſion pour quelque perſonne.* At ſenſum ego profectò Phaedri hunc eſſe verum & maxime obvium puto: vellemque praeterea exemplum Burmannus aliquod bonum attuliſſet, quo nos doceret, potuiſſe hic latinè dici pravum favorem hominum, ut amor judicii proprii pravus ſignificaretur.

d) *Ludos nobiles*] Hanc lectionem editiones pleraeque exhibent: neque aliter in MSS. Codicibus, Pithoeano & Remenſi, legitur: ſi quidem, quod ibi ſcribitur, *nobilis*, idem omnino eſt ac, *nobiles.* Vide Nicolai Heinſii praefationem ad Virgilium editionis Elzevirianae, quam anno 1676 emendatiſſimam curavit. Monet ille, Romanis, divi praeſertim Auguſti ſeculo, ſcriptoribus in uſu frequentiſſimo fuiſſe, ut declinationis tertiae nominibus, quae caſum pluralem in

Quam quiſque poſſet ut novitatem oſtenderet. *e*)
Venêre artifices, laudis ad certamina;
Quos inter Scurra, notus urbano ſale, *f*)
Habere dixit ſe genus ſpectaculi,
Quod in theatro nunquam prolatum foret.
Diſperſus rumor civitatem concitat:
Paulò ante vacua turbam deficiunt loca.
In ſcenâ verò poſtquàm ſolus conſtitit,
Sine apparatu, nullis adjutoribus, *g*)
Silentium ipſa fecit expectatio.

---

ium terminant, quartus deinde caſus in *is*, non in *es* terminaretur: quod vetuſtiſſima quaeque monumenta teſtantur: ſed uſus ille nunc apud nos obſolevit.

e) *Novitatem oſtenderet*] Horatius, *art. poet.* v. 223:
Illecebris erat & gratâ novitate morandus
Spectator.

f) *Scurra, notus urbano ſale*] Plautus, *Moſtel.* Act. 1, Sc. 1, v. 14:
Tu urbanus verò Scurra, deliciae popli,
Rus mihi tu objectas?

g) *Nullis adjutoribus*] Mimi & Hiſtriones habebant in Theatro adjutores ſuos, qui variam, prout res poſtularet, operam ipſis commodarent. Suetonius, *illuſtr. Grammat.* cap. 8: *Lucius Craſſitius initio circa ſcenam verſatus eſt, dum Mimographos adjuvat.*

Ille in sinum repentè demisit caput,
Et sic porcelli vocem est imitatus suâ,
Verum *h*) ut subesse pallio contenderent,
Et excuti juberent. *i*) Quo facto, simul
Nihil est repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plausu prosequuntur maximo.
Hoc vidit fieri Rusticus: Non mehercule
Me vincet, inquit: & statim professus est
Idem facturum meliùs se postridie.
Fit turba major, jam favor mentes tenet,
Et derisuri, *k*) non spectaturi sedent.

---

h) *Verum*] Subaudi porcellum.

i) *Et excuti juberent*] Plautus, *Aulul.* Act. IV, Sc. 4, v. 19:

Excute dum pallium.

k) *Et derisuri*] Sensus est: Mentes omnium in Scurram propensas ex opinione jam praejudicatâ favor occupat, minusque ut spectent, eos movet, quàm ut Rusticum derideant. Cùm omnes, quas norim, editiones hanc Pithoei lectionem exhibeant:

Et derisuri, non spectaturi sedent;

ab ipsâ discedere non sustinuimus: at Pithoeus confessus est, in suo Codice legi:

Et derisuros, non expectaturos sitet;

In Codice autem Remensi pro, *expectaturos*, scriptum

Uterque prodit. Scurra digrunnit *l*) prior,
Movetque plauſus & clamores ſuſcitat.
Tunc ſimulans ſeſe veſtimentis Ruſticus
Porcellum obtegere, [quod faciebat ſcilicet,
Sed in priore quia nil comperorant, latens, *m*)]
Pervellit aurem vero, *n*) quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturae exprimit.

---

eſt, *ſpectaturos*, ut monuit Gudius: unde ſi tantummodò, *ſitet*, mutetur in, *ciet*, efficietur:

Et deriſuros, non ſpectaturos ciet:

Quae mihi quidem lectio valde probabilis videtur.

l) *Digrunnit*] Grunnire porcorum proprium eſt, ut Varro docet apud *Nonium*, cap. 2. Verbum autem, *digrunnire*, uſurpavit Phaedrus, quemadmodùm Caelius apud Varronem, *L. Lat.* L. 6, c. 5 verbum, *dibalare*, uſurpat hoc verſu:

Tantam rem dibalare pro nihilo habuerit.

m) Senſus eſt: Porcellum ſimulabat obtegere, & id ipſum faciebat ſcilicet, verumque Porcellum veſtimentis ſuis obtegebat; ſed latebat ſpectatoribus eo faciliùs, quòd illi in prioris pallio, cùm illud excuti juſſiſſent, nihil compererant. Itaque Ruſticus iſte ſub umbrâ geſtûs luſusque fraudulenti latebat ſpectatoribus, ſive eos fallebat; aliud enim ſignificabat, aliud agebat.

n) *Vero*] Subaudi, porcello.

Adclamat populus: Scurram multo ſimiliùs
Imitatum, & cogit Ruſticum trudi foras.
At ille profert ipſum porcellum e ſinu,
Turpemque aperto pignore *o*) errorem probans,
En hic declarat, quales ſitis judices.

Poeta ad Particulonem.

ADHVC ſuperſunt multa, quae poſſim loqui, *p*)
Et copioſa abundat rerum varietas:
Sed temperatae ſuaves ſunt argutiae:
Immodicae offendunt. Quare, vir ſanctiſſime
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis,
Si non ingenium, certè brevitatem adproba,

---

o) *Aperto pignore*] Senſus eſt: dum ille truditur è theatro, ipſum porcellum, quem in ſinu geſtabat, profert, talique palam oſtenſo pignore, ſive argumento, ſpectatores probat erraſſe turpiter.

p) *Loqui*] Id eſt, narrare. Ita Virgilius, *Aen.* L. VI, v. 266:

Sit mihi fas audita loqui.

Quae commendari tanto debet justiùs,
Quanto poetae sunt molesti validiùs. *q*)

FABVLA VI.

Calvi duo.

INVENIT Calvus fortè in trivio pectinem,
Accessit alter aequè defectus *r*) pilis.
Eia, inquit, in commune, *s*) quodcunque est lucri.

---

q) *Molesti validiùs*] Sensus est: quanto majorem poetae, dum carmina, unde brevitas abest, obtrudunt, creare molestiam solent.

r) *Defectus*] Id est, destitutus. Sic Tibullus, Lib. II, *Eleg.* 5, v. 75:

Ipsum etiam solem defectum lumine vidit
Iungere pallentes nubilus annus equos.

Sensu diverso dixit Auctor noster, L. I, f. 21, v. 3, *defectus annis*; quod idem est, ac, deficiens prae annis ingravantibus: atque Columella, *de re rust.* L. V, c. 6; sub finem, eodem prorsus modo memorat *arborem senio defectam*. Inscitè ergo Rigaltius ad istum Phaedri locum sic loquitur: *Defectus annis, ut infra, defectus pilis.* Inscitè Hoogstratanus ad hunc posteriorem, quem nunc explicamus, dixit: *Defectus pilis; sic supra, defectus annis.*

s) *In commune*] Seneca, *Epist.* 119: *Quoties*, inquit,

Ostendit ille praedam, & adjecit simul:
Superùm voluntas *t*) favit, sed Fato invido
Carbonem, ut aiunt, prò thesauro, *u*) invênimus.
QVEM spes delusit, huic querela convenit. *x*)

aliquid invêni, non exspecto, donec dicas, in commune; ipse mihi dico.

t) *Superûm voluntas*] Sensus est: faverunt quidem Superi; nam reverâ praedam obtulerunt: sed fatum invidit; ita enim sumus uterque comparati, ut praedâ istâ neuter juvari possit.

u) *Carbonem pro thesauro*] Usitatum Graecis aequè ac Latinis proverbium. Carbones autem, ut monet Erasmus, Chiliade I, centur. 9, Sect. 30, *antiquitus in terra defodi solebant, ad indicandos agrorum terminos.*

x) *Huic querela convenit*] Non querelam quamcumque, sed hanc ipsam, quam modò Phaedrus retulit, intellige. Nam sensus est: cui secus, ac speraverat, quidpiam evênit, huic talem querendi formulam adhibere licet.

FABVLA VII.

Princeps Tibicen.

Vbi vanus animus, aurâ captus frivolâ, y)
Adripuit insolentem sibi fiduciam, z)
Facilè ad derisum stulta levitas ducitur.
Princeps Tibicen notior paulò fuit, a)
Operam Bathyllo b) solitus in scenâ dare.

---

y) *Aurâ frivolâ*] Id est, favore fallaci.

z) *Adripuit fiduciam*] Ea etiam, quae sita sunt intra nos, latinè dicuntur à nobis adripi. Ita Cicero, *orat. pro Mil.* c. 4: *Est igitur haec non scripta, sed nata Lex; quam non didicimus, verùm ex naturâ ipsâ adripuimus.*

a) *Notior paulò fuit*] Id est, paulo notior, quàm ceteri Tibicines, sive aliquantùm celebris fuit.

b) *Bathyllo*] Is Pantomimus fuit, in arte suâ tam excellens, ut Comoedias Tragoediasque integras gestibus exprimeret: quem etiam Tacitus valde fuisse à Mecaenate dilectum, memoriae tradidit. De eodem Casaubonus, ad *Persii Sat.* 5, v. 123: *Cum Pylade*, inquit, *primus Romam intulit gesticulationem Pantomimorum.* Quas autem Pantomimi fabulas sic agebant, eas saltare dicebantur. De stupendâ illorum hominum industriâ Cassiodorus, Lib. IV, *Epist.* 51, multa curiosa commemorat.

Is fortè ludis, non ſatis memini quibus,
Dum pegma rapitur, *c*) concidit caſu gravi
Necopinans, & ſiniſtram fregit tibiam,
Duas cùm dextras *d*) maluiſſet perdere.

---

c) *Dum pegma rapitur*] Pegmata erant machinae, quibus Scenicae varietates ex inopinato exhibebantur, ut docet Seneca *Epiſt.* 88, med. ponderibus autem vel admotis tollebantur, vel reductis deſcendebant. Claudianus, *panegyr. in Mallium*, v. 323:

Mobile ponderibus deſcendit pegma reductis.

d) *Duas cùm dextras*] Ludit Auctor in voce tibiae: ſiniſtram ſibi Princeps tibiam fregerat, id eſt os illud, quod, ut docet Celſus Med. L. VIII, c. 1, à priore parte ſurae poſitum eſt, & vocatur tibia: at duas ille dextras tibias, quibus canere ſolebat, perdere ſive frangere maluiſſet. Tibiae autem in ludis ſcenicis adhiberi ſolitae, aliae dextrae, aliae ſiniſtrae erant: dextrae ſono gravi ſeria, ſiniſtrae acuto feſtiva argumenta pronuntiabant, id eſt, ad modos muſicae idoneos dirigebant. Ubi notatu dignum illud eſt, quòd Tibicines ſcenici plerumque duabus ſimul tibiis, ſive dextris, ſeu ſiniſtris, uterentur. Princeps itaque cùm adjuvaret cantu ſuo Bathyllum, modò ſerias, modò feſtivas fabulas geſtibus exprimentem, tibias habere debuit & ſiniſtras & dextras: has autem ille falſè & verè dicitur maluiſſe perdere: Bathyllo ſcilicet navare operam ſolebat; qui Bathyllus, ut Seneca in *excerptis controverſiar.* Lib. III docet, cùm ſcitè admodùm

Inter manus *e*) ſublatus, & multùm gemens,
Domum refertur. Aliquot menſes tranſeunt,
Ad ſanitatem dum venit curatio. *f*)
Ut ſpectatorum mos eſt, & lepidum genus, *g*)
Deſiderari coepit, cujus flatibus
Solebat excitari ſaltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobiles,
Et incipiebat ingredi *h*) Princeps: eum

---

jocoſa argumenta exſequeretur, non ita felix fuit in gravioribus exſequendis, quibus dextrae tibiae adhibebantur.

e) *Inter manus*] Eorum ſcilicet, qui miſero ſubvenerunt. Plautus, *Moſtel.* Act. 2, Sc. 1, v. 38.

Amabo, abripite hunc intrò actutùm inter manus. Sic aliquis, apud T. Livium, L. III, c. 13, *inter manus domum ablatus*; & apud Senecam *de brevit. vitae*, c. 12, *ex balneo inter manus elatus.*

f) *Curatio*] Donatus ad Terent. *Andr.* Act. 1, Sc. 1, v. 3: *Curatio propriè Medicorum eſt; cura reliquorum.*

g) *Et lepidum genus*] Spectatores Phaedrus irridendo vocat lepidum hominum genus, tanquam ſi ſtultè cupidum dicere voluiſſet.

h) *Ingredi*] Id eſt, incedere, ambulare. Plinius, *Hiſt.* L. XI, c. 51: *Qui celeriùs fari coepere, tardiùs ingredi incipiunt.* Hic porrò verſus & qui ſequitur, valde in

Adducit pretio, precibus, ut tantummodò
Ipſo ludorum oſtenderet ſeſe die.
Qui ſimul advênit, rumor de Tibicine
Fremit *i*) in theatro: quidam affirmant mortuum:
Quidam in conſpectum proditurum ſine morâ.
Aulaeo miſſo, *k*) devolutis tonitrubus, *l*)

---

utroque Codice Pithoeano & Remenſi depravati ſunt: cujus mali fortaſſe origo talis eſt: pro verbo, *adducit*, aliquis ſcripſerit Librarius, *abducit;* adjectum ab alio fuerit gloſſema, *à ſe reducit;* quod alius, tanquam ab Auctore profectum, cùm legeret, ad ſuperiorem verſum rejecerit; tum alius pro, *abducit eum*, ſcripſerit, *abduci reum;* alius denique voces etiam aliquantulum transportaverit: unde monſtrum illud, quod exhibent vetuſti Codices:

Et incipiebat Princeps abduci reum ingredi
A ſe reducit pretio precibus ut tantummodò.

i) *Fremit*] Id eſt, diditur confuſè per cuneos. Virgilius, *Aen.* L. I; v. 563:

Cuncti ſimul ore fremebant
Dardanidae.

k) *Aulaeo miſſo*] Aulaeum ſive Siparium demittebatur ſternebaturque, quando proditurі erant Hiſtriones; tollebatur autem, ubi finitum erat ſpectaculnm. Cicero, *or. pro Coel.* c. 27: *Scabilla concrepant; aulaeum tollitur.*

l) *Devolutis tonitrubus*] Celſus, *Medicinae* Lib. II, c. 3:

Dî sunt locuti more translatitio. *m*)
Tunc Chorus, *n*) ignotum & modo reducto canticum,

Bonum, inquit, *signum est sonitus ventris inde ad inferiores partes devolutus.* Devolvebantur autem lapides, ut simularentur tonitrua. Festus: *Claudiana tonitrua appellabantur; quia Claudius Pulcher instituit, ut ludis post scenam conjectus lapidum ita fieret, ut veri tonitrûs similitudinem imitaretur: nam antea leves admodùm & parvi sonitus fiebant, cùm clavi & lapides in labrum aeneum conjicerentur.*

m) *More translatitio*] Id est, more solito & ab Antiquis transmisso. Cicero, *in Verr.* Lib. I, cap. 44: *Sed in re tam usitatâ satis est ostendere, omnes antea jus ita dixisse, & hoc vetus edictum translatitium esse.* Quem ad locum Asconius: *Translatitia*, inquit, *Veteres dixerunt non nova, nec nuper inventa, sed aliunde translata.* Verba autem Phaedri docere nos videntur, in ipso Ludorum scenicorum principio solitos esse Deos loquentes introduci: quod quidem vel Populo Romano, vel Reipublicae optimatibus, vel posteà Imperatoribus gratulandi plerumque causâ factum fuisse existimaverim. Hos etiam Deos transennâ, id est, fune, demitti solitos in Theatrum, satis apertè significat Sallustius, *Histor.* Lib. II, apud Nonium, cap. 2, Sect. 859: Is enim Ludos histricos à Metello Pio, in Hispaniam ulteriorem regresso, exhibitos commemorans: *Transennâ*, inquit, *demissum Victoriae simulachrum cum machinato strepitu tonitruum, coronam capiti imponebat.*

Imposuit, *o*) cujus haec fuit sententia:
Laetare incolumis, *p*) Roma, salvo Principe.
In plausus *q*) consurrectum est: jactat basia
Tibicen

Ubi vides devolutis quoque tonitrubus Numen Victoriae fuisse praenuntiatum.

n) *Tunc Chorus*] MSS. Codices & Veteres editiones habent:

Tunc Chorus ignotum more ducto Canticum.

Saepe Librarii, *mo*, linea super inducta, pro, *modò*, scribebant: itaque voculam, *et*, adjecisse tantùm veteri scripturae censendi sumus, ut sensus ex absurdo fieret optimus; qui quidem talis est: Tunc Chorus, qui nihil praemonuerat Principem, ut eum certiùs ludificaret, atque etiam Canticum, bene notum ceteris omnibus, Principi verò, utpote modò in Theatrum reducto, planè ignotum, ipsi imposuit, sive ipsum decepit. Mihi gratulor, quòd Gabriel Brotier non aliter, ac ego, hunc locum intellexerit.

o) *Imposuit*] Cicero, *ad Quint. fratr.* L. 2, *Epist.* 6, loquens de Catone bellè decepto: *Cui tamen*, inquit, *egregiè imposuit Milo noster.*

p) *Laetare incolumis*] Suetonius, *Calig.* cap. 6, memorans gratulationes & gaudia Romanorum ob sparsum rumorem de Germanico in bonam valetudinem restituto, hunc optimum ejusdem fere sententiae versum trochaicum refert in Urbe passim decantatum:

Salva Roma, salva Patria, salvus est Germanicus.

q) *In plausus*] Id est, ad plaudendum consurrexerunt specta-

Tibicen, r) gratulari fautores putat.
Equester Ordo stultum errorem intelligit;
Magnoque risu canticum repeti s) jubet:

---

spectatores: qui summus honor tribuebatur solis Principibus, aut viris supra ceteros insignibus. Propertius, L. III, *Eleg.* 16, v. 17:

> I nunc, tolle animos, & tecum finge triumphos,
> Stantiaque in plausum tota Theatra juvent.

r) *Iactat basia Tibicen*] Burmannus, conjecturâ Scriverii & Heinsii deceptus, edidit, *jactant basia*, ut haec verba referat ad spectatores: quod mihi quidem absonum videtur: nam ut stultus error Tibicinis intelligi posset, aliquos ille gestus edere debuit, quibus significaret, à se plausus spectatorum, tanquam sibi uni datos, accipi; hoc autem ut praestaret, quid opportunius fuit, quàm jactare basia, id est manum & ori admovere & ad spectatores porrigere? id quod facere solebant Romani, ut gratos se ac memores ostenderent. Sana est ergo lectio MSS. Codicum & editionum fere omnium, quam exhibemus.

s) *Canticum repeti*] Equites, qui sedebant propiùs, stultum errorem statim intelligunt, & Canticum repeti jubent non sine magno risu: jubent autem repeti, non ab ipso Tibicine, ut Porturegiensis interpres credidit; neque a Musicis, ut voluit hujus censor Tanaquillus Faber, sed ab unico illo Histrione, qui personam hujusmodi sustinebat. Diomedes Grammaticus, Lib. III, colum. 489, editionis Putschianae: *Membra Tragoediarum tria sunt, Diverbium, Canticum, Cho-*

Iteratur illud: homo meus *t*) se in pulpito *u*)
Totum prosternit: plaudit inludens Eques:
Rogare populus hunc coronam *x*) existimat.
Ut verò cuneis *y*) notuit res omnibus,

---

rus . . . In canticis autem una tantùm debet esse Persona. Ibidem docet ille Chorum abesse à latinis Comoediis: unde conjicere licet, ludos Pantomimorum celebritatem apud Romanos ideo praesertim habuisse maximam, quòd exhiberent oblectamenta omnia, quae Tragoediae separatim & Comoediae continebant; atque in iis argumenta modò tragica, modò comica gestu exprimerentur; quòd & praetereà Canticum aliquod unius Personae voce recitaretur, Chorusque saltantium, id est motibus & conversionibus rectè ordinatis incedentium, gestusve significantissimos expromentium, numerosissimus induceretur.

t) *Homo meus*] Terentius, *Adelph.* Act. 3, Sc. 2, v. 38: Mi homo, sanusne es?

u) *In pulpito*] Pulpitum, sive proscenium anterior Theatri pars erat. Vitruvius, L. V, c. 6: *Disjungat proscenii pulpitum, & orchestrae regionem . . . Pulpiti altitudo ne sit plus pedum quinque, uti qui in orchestrâ sedent, spectare possint omnium agentium gestus.*

x) *Coronam*] Id est, praemium, quo praestare ipsum in arte musicâ palam ostenderetur.

y) *Cuneis*] Cunei erant sedilia; & hîc sedilia pro sedentibus accipienda sunt. Spectatorum autem sedilia,

Princeps, ligato crure niveâ fasciâ,
Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore Divinae Domûs,
Ab universis capite est protrusus foras. z)

FABVLA VIII.

Tempus.

CVRSV volucri a) pendens in novaculam;
Calvus; comosâ fronte; nudo corpore;

---

quia sic erant disposita, ut cuneorum speciem exhiberent, cunei vocati sunt.

z) Sensus est: Princeps, qui crura sibi niveis fasciis ligaverat, niveamque etiam tunicam & calceos niveos induerat, cùm adeò stultus esset, ut Canticum in honorem Divinae sive Augustae Domûs recitatum sibi vindicaret & hinc superbiret, ab universis Spectatoribus jussus est prono capite foràs protrudi.

a) *Cursu volucri*] Haec referri necesse est ad verbum, *significat*, v. 5: quod dubito an patiatur Latinitas: quia tamen ab anno 1600 lectionem hanc omnes admiserunt, excepto Bentleio, qui, *cursu ille volucri*, legi vult, mutare quidquam non ausus fui. Proposuit Burmannus, *cursu volucris*, quod mihi non displicet: tunc enim vox, *aliquis*, subaudiri facilè possit,

Quem ſi occupâris, teneas; *b*) elapſum ſemel
Non ipſe poſſit Iupiter reprehendere: *c*)
Occaſionem rerum ſignificat brevem.
EFFECTVS impediret ne ſegnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem Temporis. *d*)

---

at fortè nòn item in alterâ lectione. Prò, *novaculâ*, autem repoſui, *novaculam*, ut ſenſus ſit: pendens in novaculam, non quae pedibus ejus ſubjecta ſit, quemadmodùm plerique explicant, at quam gerit manu. Ita Virgilius, *Aen.* Lib. V, v. 147, de Aurigis loquens:

Pronique in verbera pendent.

Ubi verbera pro flagellis accipienda ſunt.

b) *Teneas*] Sedulò ſcilicet ac fortiter.

c) *Reprehendere*] Id eſt, revocare & reſumere.

d) Senſus eſt: ut caveretur, ne ſegnis mora impediret, quominùs ea fierent, quae facienda ſunt: talem effigiem Temporis, opportuni ſcilicet, ſive Occaſionis, Antiqui finxerunt.



FABVLA IX.

Taurus & Vitulus.

ANGVSTO in aditu Taurus luctans cornibus,
Cùm vix intrare poſſet ad praeſepia,
Monſtrabat Vitulus, quo ſe pacto plecteret: e)
Tace, inquit; ante hoc novi, quàm tu natus es.
QVI doctiorem emendat, ſibi dici putet. f)

FABVLA X.

Canis & Venator.

ADVERSVS omnes fortis veloces feras
Canis cùm domino ſemper feciſſet ſatis,

---

e) *Se plecteret*] Plautus, *Bacchid.* Act. I, Sc. I, v. 37:
Pro inſigni ſit corolla plectilis.
A. Gellius, Lib. XVIII, cap. 2: *Coronam* (ponebat) *è lauro plexam.* Denique pro, *pectit*, quod habent Iuvenalis editiones vulgatae, *Sat.* 6, v. 493, rectè Philippus Rubenius, *Electorum* Lib. II, cap. 26, legendum eſſe judicavit:
Plectitque comas & volvit in orbem:
Et *id eſt*, inquit, *complicat, & concinnat in annulum.*

f) *Sibi dici putet*] Id nempe, quod Vitulo Taurus reſpondit.

Languere coepit, annis ingravantibus.
Aliquando objectus hiſpidi pugnae Suis,
Adripuit aurem; ſed carioſis dentibus
Praedam dimiſit. Hic tum Venator dolens,
Canem objurgabat. Cui latrans contra ſenex:
Non te deſtituit g) animus, ſed vires meae.
Quod fuimus laudas, etiam damnans quod ſumus. *h*)

Hoc cur, Philete, *i*) ſcripſerim, pulchrè vides.

---

g) *Non te deſtituit*] Senſus eſt: habes me eodem ſemper animo, ſed non iisdem viribus inſtructum.

h) In MSS. Codicibus legitur, claudicante verſu:


Quod fuimus laudas, jam damnas quod ſumus.

Sic legendum putavi:

Quod fuimus laudas, etiam damnans quod ſumus.

Quae lectio dignam Phaedro, ni fallor, ſententiam exhibet.

i) *Philete*] Saepe in Corpore veterum Inſcriptionum nomen Phileti, modò Liberti, modò civis Romani, occurrit, at nusquam ſupra Veſpaſiani tempora: in opere autem Italico Franciſci Bianchini de ſepulchralibus Inſcriptionibus, in Viâ Appiâ repertis, & anno 1730 Romae publicatis, *Philetus aedituus fortunarum, & Hilarus Phileti frater*, inter libertos ſervosque Domûs Auguſtae memorantur; quod me docuit, dum explicat hunc Phaedri locum, Gabriel Brotier, meus olim contubernalis.





INDEX FABVLARVM.

LIBER I.

)(o)(

)(o)(

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

LIBER V.

)(o)(





I. M. I.

Ego infrà ſcriptus Provincialis Provinciae Franciae Societatis Ieſu, poteſtate mihi factâ à Reverendo admodum Patre noſtro Laurentio Ricci, Societatis noſtrae praepoſito Generali, facultatem concedo Patri Franciſco Ioſepho Desbillons, ejusdem Societatis ſacerdoti, ut librum inſcriptum : *Phaedri Auguſti Liberti Fabularum Aeſopiarum libri quinque:* quos recenſuit & explanavit, adjectis annotationibus & lectionibus variis, hominum ejusdem Societatis eruditorum judicio probatis, in lucem edere poſſit, in cujus rei fidem has ei literas manu noſtrâ ſubſcriptas & ſigillo noſtro munitas dedimus. Biturigibus die 12 Maji 1760.

Matthaeus Ioannes Ioſephus
Allanic. S. I.
(L.S.)

Errata typographica.

Praef. pag. 38, lin. 18, monebo, lege: at monebo.

— ibid. lin. 19, ſuggilaſſet, leg. ſugillaſſet.

— p. 39, l. 9, Phaedti, leg. Phaedri.

— p. 41, l. 21, abſcribi, leg. adſcribi.

— p. 42, l. 23, locubrationis, leg. lucubrationis.

— p. 45, l. 11, lectioris, leg. lectoris.

— p. 47, l. 3, peroportune, leg. peropportune.

— p. 49, l. 1, & undecimam, Dele haec verba.

— p. 50, l. 13, tres, leg. duas.

Lib. I, fab. 4, not. d, edicitur, leg. eliditur.

— fab. 28, lin. ult. uatos, leg. natos.

— fab. 29, titul. inridens, adde, Aprum.

Lib. II, fab. 4, not. f, lin. 4, 1589, leg. 1598.

— ibid. not. h, comininiſcendo, leg. comminiſcendo.

— fab. 7, titul. vectores, leg. latrones.

Lib. III, Prolog. not 9, Euthycum, leg. Eutychum.

— fab. 16, not. m, lin. 3, hoc, leg. haec.

Lib. IV, fab. 12, not. e, lin. 2, Phaedri, leg. Phaedre.

Lib. V, Poeta, v. 1, Aeſopo, leg. Aeſopi.

— fab. 1, v. 17, ſtatim, leg. ſtatim:

